



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**S. Francisci Xaverii E Societate Iesv Indiarvm Apostoli
Novarvm Epistolarvm Libri Septem**

Francisco <de Javier>

Romæ, 1667

Liber VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46129](#)

492

S. FRANCISCI
X A V E R I I
E SOCIETATE IESV
INDIARVM APOSTOLI
NOVARVM EPISTOLARVM.

L I B E R V I .

EPISTOLA PRIMA.

P. GASPARI BARZÆO

SOCIETATIS IESV.



ETIS à me , mi Gaspar , ut
quoniam multus esse soleo in
commendandâ humilitate , &
tu ipse intelligis quanti eu-
virtus pretij ac momenti sit
etiam ejus exercendæ quan-
dam Methodum suggerere ne graver . E-
quidem libenter in eo argumento verbor:
ac



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ac quoniam tuâ causâ volo plurimūm , &
tibi audiens circumstrepere plausūs concio-
num , interdum (ut est amor solicite an-
xius) vereor , ne dum te sentis placere
omnibus , incipias ipse tibi non displicere ;
adscribam hīc quæ in mentem veniunt ,
idonea ni fallor , ut velut amuleti vice tibi
sint , ad prævertendam vim noxiam blandi-
veneni arrogantiæ , per auram popularem ,
inter gratulationes , insidiosè ad incautos ad-
repentis . Ante omnia toto animo incum-
be ad captandam ex ipso successu tuarum ,
ad Populum Orationum , occasionem ma-
gis semper ac magis tui deprimendi : cla-
rè intelligendo ac profitendo : nihil in eo
tuum esse , totam laudem ad Deum , tuæ
qualiscumque facultatis , & profectus ex eâ
nati te audientium , unicum Autorem , fi-
delissimè referendo . Quin etiam agnoscas
oportet , debere te Populo fructum istum
universum . Potes enim ac debes credere :
Deum Dominum Nostrum motum devotio-
ne bonæ istius Plebis sitienter inhiantis ,
addiscendis ijs quæ ad Religionem & salu-
tem animarum pertinent , donare tibi ,
quamquam eâ gratiâ non digno , artem
& vires docendi eos prout opus est , &

ex

ex ipsorum voto promovendi . Ergo te
nihil aliud nisi Ministrum esse alieni Bene-
ficij , tibi nullā ex parte imputabilis : quip-
pe cum & tua intelligendi lux , & agendi
vigor , & ipsa docilitas permotioque Au-
ditorum , Dei utique sint munera , non
tuis , sed Ecclesiæ , ac Pij Populi meriti
concessa . Atque hinc causam debes duc-
re populi amandi , Te illi ferens obstrictissi-
mum , quod ejus respectu tibi Dominus
Doctrinam & Eloquentiam communicet ;
quas si tibi usurpes , & in bonis tuis mu-
neres , ingratus injustusque sis , à quo il-
læ , ac quorum gratiâ tribuantur , illibera-
liter ignorans . Reputare præterea te con-
venit , si quid operæ pretij , quod lucro im-
putari queat , ex tuis laboribus existet ,
fructum esse precum ac suffragationis So-
ciorum , qui varijs per orbem locis Deo
militantes , Fratrum suorum alibi decertan-
tium conatibus Divinam opem implorant ;
& quia caritate ac demissione summâ id
faciunt , impetrant ut Deus Dominus No-
ster nonnunquam uti dignetur operâ Filio-
rum Societatis , ad suam ipsius gloriam
salutemque animarum procurandam . Hæc
si persuasa menti tuæ intimo assensu te-
neas ,

neās , nā tu nunquam titillaberis quantis-
vis acclamationibus ac laudibus applau-
dium tuæ dictioni concionum : sed quā
altius extollēris , eō demissius te deprimes ;
certissimè intelligens istius dotis , tuo tibi
periculo ad profectum aliorum creditæ , se-
verissimam à te olim repetendam esse ratio-
nem : cujus in administratione nihil pro-
priè tuum possis agnoscere , præter culpas
plurimas imprudentiæ , negligentiæ , in-
grati denique animi erga Deum qui lar-
gitus est , erga Populum in cuius utilita-
tem est data ; postremò adversus Matrem
Tuam Societatem IESV , cujus evictus pre-
cibus Benignissimus Dominus aliquo tuos
labores successu fortunat . Iuverit etiam
fructum , quantuscumque provenit , com-
parare cum longè uberiori , proventuro si
non interciperetur tuo vitio . quare debes
incumbere quām maximā poteris instantiā
ad exorandum Deum , ut tuæ menti cœ-
lestem lucem indulgeat , quā intimè illu-
strante liquidō videoas , quanta per tuos de-
fectus ac quotidianos lapsus obstacula oppo-
nantur Divinæ in te operanti Bonitati ,
prohibitæ planè assequi quod optat , imper-
fectione ac labe Instrumenti quod adhibet;
ideo-

Ideoque omittentis manifestare se claris,
& quæ ad suam Gloriam salutemque mor-
talium magna tuo interventu destinaverat
peragere. neque hos sensus jactare te ver-
bis apud homines magis, quam Deo inspe-
ctori cordium exhibere penitus animo con-
ceptos velim. Erunt hi quasi stimuli sa-
lubriter excussuri gloriationem vanam, qui-
bus compunctus collectusque in attentio-
nem tui, adeò non dissolvēris in supinam
securitatem, ut potius instes ipse tibi, &
solicite invigiles, circumspectans undique
ne quid imprudens pecces, ne uspiam
ruens impingas, ne vel publicè agendo
vel tractando privatim, offendas apud Po-
pulum; quem, ut dixi, grātē ac reveren-
ter intueri, tanquam causam indultæ tibi
a Deo Gratiæ, te semper æquum est. Ti-
bi porrò in hisce versanti meditandis
majorem in modum commendatum velim,
ut quas Deus pro suâ beneficâ consuetu-
dine illuminandi accedentes ad se, tu
menti satagenti quæ illi placent intellige-
re, noticias infuderit, scriptò compre-
hendas ad memoriam. nam & sic altius
imprimuntur animo, actu ipso & mora
conscriptibendi desigente: & si forte, ut fe-
rè

rè contingit , longa dies earum Imagines
hebetaverit , aut penè aboleverit , eæ re-
lectione Commentariorum , quibus præsen-
ti experimento consignatæ sunt , rursùs tan-
quam recentes admoventur sensibus animi ,
dum illarum Archetypa quodammodo ex
Ectypis reparantur . & tunc quasi venâ ite-
rûm repertâ metalli unde hauseris ; scru-
tans ibidem profundius novas opes erues ,
pro fundamento utens altioris structuræ ,
fastigio ipso priùs detectorum . Sic enim
Dei communicare sese gestiens Sapientia
solo gratuitæ Misericordiæ instinctu , amat
vigilantes ad se , è luce in lucem , è cre-
pusculis per adultiora lumina provehere ad
plenum meridiem , continentì augmento
fulgorum . quo in genere quia solet proli-
xiùs favere propriæ vilitatis depressiones me-
ditando indagantibus ; ne dubites quin per-
severans longanimiter in isto Sancto Exer-
citio humilitatis , & notitiæ intimæ defe-
ctuum tuorum , magnis inde profectibus ,
non perfectionis modò propriæ , sed suc-
cessuum etiam ingentium in procuratione
salutis alienæ cumulandus sis ; & usu exper-
turus , quod re ipsa verissimum , non om-
nes intelligunt ; in unâ demùm syncerâ

II sui

sui despiciētiā totam spem sitam esse ve-
ri & magni fructū ab Evangelico Prae-
cone referendi ; fructus autem solidus & ple-
nus non est , quem qui colligit , perit : sui
pernicie alijs consulens . Quocirca per ego
te , quo Deum prosequeris , amorem , per
quantum debes Patri Nostro Ignatio &
Iesv Societati universae (scis autem quām
multū utrique debeas) oro & adjuro se-
mel , iterū , tertio , quantā summā conten-
tione & efficaciā valeo , insiste continuè
hisce exercitijs depressionis tui . Si enim
illa (quod absit) intermitteres , malè me-
tuerem (Deus omen avertat) ne animæ tuæ
jacturam patereris . prout profecto non ne-
gaveris , & fando auditos , & oculis perspe-
ctos à te multos , qui quod non essent in
humilitate fundati , postquam alijs prædi-
caverant , reprobi facti sunt . quorum num-
erum ne augreas , etiam atque etiam moneo,
cave . Atque horum infelicissima exempla
nollem equidem semel cognita tuo ex ani-
mo effluerent . Retracta-sis illa & revoca;
otiosè obijciens intimis mentis tuæ sensi-
bus , luctuosissima simulacra Plurimorum ,
quorum ex ore perorantium è sacris Pulpit
Conciones , quām quæ tibi dant ope-
ram ,

ram , densiores pependerunt : qui elegan-
tiūs disertiūs , admirabiliūs , quām Tu ,
dixerunt : quorum persuasi Orationibus plu-
res multō , quām quot unquam ad meliorem
frugem te adhortante se receperint , ido-
la colere & peccare desierunt : quibus
postquam Deus Instrumentis usus fuerat ad
mortales quamplurimos , è Diaboli tyran-
nide ac viciniā Tartari ad Christi Regnum
Cœlique felicitatem transferendos , deni-
que miserrimis contigit , ad æternos infe-
rorum ignes damnatione justissimā detrudi :
quoniam sibi arroganter attribuerunt Glo-
riam quæ soli Deo debebatur ; quoniam
Mundi faventis auram & inanes plausus
avidè captarunt ; quoniam inflati humanis
laudibus , vanâ sui opinione tumuere ; unde
in superciliosum elati fastum , Cœli ful-
minibus in superbos intortis occurserunt .
Colligant se in modestiam , justo constricti
metu , qui hæc vident . circumspiciat se
quisque , & acri attentione rationes ineat
consiliorum ac votorum . Si rectè calcu-
los posuerit accepti ac redditi , non esse
cur glorietur , abundare unde metuat , &
quare se deprimat , intelliget . nam in
toto isto negotio , quantiscumque gesto suc-

500 S.FRANCISCI XAVERII

cessibus , Procurationis salutis hominum
quid tandem est quod imputare jure nobis
ad gratulationem & decus proprium possi-
mus ? nihil hic omnino nostrum praet
quos multos benè ceptis inteximus ero-
res , infidelitates , imprudentias . Hæc no-
stri peculij sunt . nam conversiones homi-
num opera sunt Dei , suam gaudentis often-
tare bonitatem eò mirabiliùs , quò Instru-
mentis ea efficit ineptissimis ; nos videlicet
adhibens vilissimos & omni opprobrio di-
gnissimos ministros ad suam manifestandam
Hominibus gloriam . Vide ad extremum
ne tibi unquam obrepat , ut tui compa-
tione cum alijs Socijs minùs speciosè ope-
rantibus , eos præ te contemnas , quasi ob-
scuros & ad magna inutiles . At tu po-
tiùs certâ tibi persuasione subijce : ex il-
luvie ac tenebris vilia Domi officia tra-
stantium istorum , splendores tuos nasci
Hos , inquam , Fratres Tuos humiles De-
causa sordidis ministerijs intentos , ab eo
cui devotè serviunt , impetrare tibi vim ac
facultatem quæ te clarum efficit - quibus
ideo plus longè debeas , quām illi tibi . Tali
præoccupatus sensu intimo , nunquam hos
despicies , sed penitus amabis ac venerabe-
ris ,



RII
ainum
re nob
m poss
n prae
us em
Hæc no
s homi
s ostend
Insti
videlicet
orio di
standam
remum
omparan
sè opt
uasi ob
tu po
ex il
cia tra
nasci
es De
ab eo
vim &
quibus
. Tali
m hos
erabe
ris,

NOVARVM EPIST.Lib.6. 501
ris, infra ipsos te deprimens, magno tui
animi profectu.

E P I S T O L A II.

EIDEM PATRI GASPARI BARZÆO
SOCIETATIS IESV.

*In Nomine Domini Nostri Iesu Christi
Amen.*

Ego Franciscus indignus Præpositus So-
cietatis Iesu per hos Indiarum Tra-
ctus, fretus tuâ, Magister Gaspar, humi-
litate, virtute, prudentiâ; cæterisque
Dotibus quæ te satis idoneum regendis alijs
efficiant, mando tibi in virtute Sanctæ
Obedientiæ ut Præfecturam capessas hujus
Collegij Goani Sanctæ Fidei, Rectorisque
nomine ac potestate illi præfis. Iubeo præ-
terea subesse autoritati Tuæ Patres omnes
ac Fratres Lusitanos Societatis Iesu qui-
cumque citra Promontorium bona spei huc,
& hinc usque Malacam, Moluccum, Ia-
ponem, ubicumque harum regionum de-
gunt. Eos quoque qui posthac è Lusita-

II 3 niâ,



niâ , vel alia quavis Europæ parte in hæ Provincias & Domos Societatis advenerint
meo regimini commissos , universos tua
potestati subjectos volo ; nisi si quem no-
minatim Rectorem hujus Collegij Goani de-
stinaret Pater Noster Ignatius , quem jam
per literas rogavi , expositis prolixè ratio-
nibus , cur id necesse videatur , ut mittat
huc virum aliquem in primis experientem ,
& cui fidat plurimum , ad moderandum
hoc Collegium , & regendos nostros omnes
qui in circumfisis Stationibus aut Missioni-
bus ex eo pendent . Si ergo quispiam è
Societate cum mandato à Patre Nostro
Ignatio , aut alio Præposito Generali So-
cietatis Iesu , ritè subscripto , quod exhibe-
at , Goam appulerit ad regimen capessendum
hujus Domus & Sedium illi contribu-
tarum , impero tibi in virtute Sanctæ Obe-
dientiæ , & hoc mandatum isti chartæ con-
signatum relinquo , ut tali viro statim de-
cedas , eique gubernacula Goani Collegij ,
& ejus appendicu , nullâ interpositâ mo-
râ in manus tradas , ipsum te illi subi-
ciens , & in omnibus obtemperans . Si-
quis è Lusitanâ veniens missum ad hoc se
diceret , nec tamen ostenderet literas ritè

sub-



subscriptas à Patre Nostro Ignatio , aut
alio pro tempore Præposito Generali So-
cietatis IESV. hunc veto Rectorem agnoscas,
aut in eum præfecturam à me tibi credi-
tam transferas . Si tamen is idoneus ad gu-
bernandum videretur , & tu subsidio egê-
res , posses illi delegare partes tuas ; &
committere vicariam potestatem revocabi-
lem ad nutum ; salvo semper jure tuo ac
dominio superiori , cui non minùs ipse
dum vice tuâ præfet cæteris , quām qui-
vis aliorum tibi & illi parentium subjectus
sit . nam Te , Magister Gaspar , planè volo ,
& pro potestate mihi traditâ decerno , quo-
ad aliud Generalis Societatis statuerit , unum
isti Goano , supremâ post meam autorita-
te , Collegio præesse , imperaréque nostris ,
ut dixi , omnibus per has regiones degen-
tibus : quibus universis mando in virtute
Sanctæ Obedientiæ , ut obtemperent Tibi
Magistro Gaspari Barzæo Goani Collegij
Rectori : quò scilicet prævertantur incom-
moda quæ possent consequi , quæque aliàs
magnâ cum perturbatione secuta memini-
mus . Ac si quis huic meæ maturo consi-
lio sancitæ , ac satis cunctis declaratæ vo-
luntati refragaretur , vel eam eludere cavil .

Iando per arbitrarias interpretationes atten-
taret , aut se ipse Rectorem ferens , au-
tibi debitum obsequium pernegans , eum
ego tibi in virtute Sanctæ Obedientiæ man-
do , ut è Societate ejicias , quantisvis alio
qui egregijs dotibus fuerit præditus ; po-
tioribus enim caret : quæ sunt humilitas
& obedientia . quod dixi de Vicario tibi
substituendo , eò commemoravi , quò libe-
riùs posses excurrere Goā interdum ad
visenda Cocini , Bazaïni , & Colani Colle-
gia , Stationemque Comorinensem . Expe-
rientia quippe me docuit ; ex hujusmodi Col-
legiorum Sediumque lustrationibus , &
magnum nostrorum in ijs degentium fra-
ctum , & ingens ad Dei Domini Nostri
obsequium ac gloriam operæ pretium exis-
te . quare id factites censeo : sed tali modo
ac tempore , ut Collegium Goanum quām
minimum possit capere ex tuā absentiā de-
trimentum . Hæc quæ hactenus hīc statui-
ne quis fortè Nostrorum Patrum aut Fra-
trum leviora arbitratus , negligere aut mi-
noris quām opus est audeat ducere , ite-
rū edico tibi , ac pro potestate impero
ut si quis Sociorum obedire tibi perinde
ac mihi detrectaverit , eum confessim ē
Socie-

Societate amandes . nec te habeat solici-
tuim quasi fortè aliquem istorum propter
insignia Eloquentiæ , Doctrinæ , facultatis
alterius decora , desideratura deinde Socie-
tas videatur . nam istiusmodi Refractari
plus longè damni quam emolumenti nostro
semper inferent Ordini . cui proinde qui
consulunt , merito lucra parva negligant
gravissimis emenda detrimentis ; cum qui-
bus rectè compensetur admiratio , vel etiam
offensio , ac murmur populi , ejectionem Ope-
rariorum , quorum honesta species labes oc-
cultas celat , facile improbaturi . quare ni-
hil cunctans aut dubitans absconde audacter
à nostro corpore membra noxia ; rumorū
timorumque , me autore , securus inanum .
Quo de genere illud quoque pro imperio
veto : ne quemquam eorum quos ego an-
te meum in Sinas discessum è Societate
dimisero , tu iterum in eam ullâ unquam .
ratione admittas . quin edices per cuncta
tuæ ditioni subjecta loca , ne quisquam us-
piam nostrorum quemquam istorum tecto
vel hospitio Societatis excipiat . Vestiga-
lia Collegij jam fixa , dona extraordinaria
quæ interdum Rex largitur , jura omnia
& nomina hujus Familiæ Gozoniæ quæcum-
que

505 S.FRANCISCI XAVERII

que illi competunt liberali concessione Domini Nostri Regis , aut vices ejus Majestatis hic gerentium Prætorum , cuncta exigēs ac repētes curā in id & attentione præcipuā impensā , vel per te ipsum , vel per quos ei muneri visos idoneos præficeris. dubisque operam sedulam, ut & plenē integrē que colligantur ; & fideliter expendantur in alimenta & cæteros usus necessarios Patrum ac Fratrum Societatis hanc Domum incolentium , & ex hac aliò missorum ; quales nisi juventur inde necessarijs corpori subsidijs , servire negotio animarum , cuius gratiā mittuntur , prout opus est , nequeunt. Ex annuis redditibus Domūs seponatur quantum abundat inevitabilibus expensis , in æris alieni dissolutionem . cætera insumentur in victum & cæteros usus , sed merè necessarios , Nostrorum , tum in hoc Collegio , tum in Sedibus ei annexis degentium , ac preterea Puerorum ab Indigenis in Nostram Disciplinam traditorum , & Orphanorum hujus terræ . Datum in hoc Collegio Sanctæ Fidei . vii. Idus Aprilis Anno CICLII.

Subscripsi in Testimonium veritatis .

Franciscus .

EPI-



E P I S T O L A III.

E I D E M .

Post superiùs scripta , hæc peculiariter commendanda visa sunt . Ego tibi , Magister Gaspar , Rector Collegij Sanctæ Fidei Goani , mando in virtute Sanctæ Obedientiæ ; ne ex hac Insulâ Goanâ toto triennio exeas : nisi intra hoc spatum trium annorum adveniat huc aliquis ē nostris ritè missus à Generali Præposito universæ Societatis I S S V , cum literis id testantibus , ut ejusdem hujus Collegij regimen capeat . Talis enim simul adfuerit , & tu ei gubernationem hujus Collegij resignaveris , solitus eris hoc meo præcepto , & novo Restore , cui tu , ut alij , suberis , mitten te , poteris liberè proficisci quod is cumque jusserit . Iterum commendo & mando in virtute Sanctæ Obedientiæ omnibus qui per hos Indiarum Tractus me superiorem agnoscent ; ut ijdem obtemperent tibi , Magister Gaspar , & tuæ gubernationi subsint . Ac si quis obedire tibi renuerit , primùm ostendes illi has meas literas quibus



508 S.FRANCISCI XAVERII

bus jubeo: ut quotquot mihi subjecti sunt,
tibi pariter, ut mihi si præsens adessem,
se morigeros & dicto audientes exhibeant,
tum si in contumaciâ perfriterit, eum è
Societate dimissum res sibi habere jubebis
suas. Item commendo & mando in virtu-
te Sanctæ Obedientiæ omnibus & singulis
Societatis IESV meæ potestati commissis, ut
si quis hîc comparuerit à Nostro Patre
Ignatio aut alio Præposito Generali Societa-
tis IESV Rector hujus Collegij delectus, &
ritè institutus, quod ex literis ab eo sub-
scriptis constet, hunc statim universi Su-
periorem legitimum agnoscant, eique se
subjiciant & obtemperent pariter ac præ-
senti mihi. Sin qui id facere detrectave-
rint, rogo & commendo eidem Rectori,
nisi aliud ei Præpositus Generalis mandave-
rit, ut istos inobedientes, è Societate di-
mittat. ut certò constet de meâ in his de-
cernendis plenâ & fixa voluntate, huic char-
te manu propriâ subscripti. Goæ vii. Idus
Aprilis ccccii.

Franciscus.

EPI.



E P I S T O L A I V.

E I D E M .

CVm certas facultates & Privilegia Summi Pontifices Societati Iesv per Præpositos Generales communicanda concesserint : & Pater Noster Ignatius diplomatum , quibus hæ concessiones exprimuntur , exemplis ad me missis , etiam potestatem mihi tribuerit , eos è nostris quos rectè usu- ros istâ gratiâ censuerim , ejusmodi Pontifi- ciorum munerum participatione per me aut alios adspergendi : Ego existimans tum Te , Magister Gaspar Rector hujus Colle- gij Goani , tum eos qui tibi subsunt , ha- rum attributione facultatum pleniùs in- struendos ad tanto uberiorem reportandum proventum animarum , quarum in culturâ versamini , idcirco & eas ipsi Tibi plenè communico ; & confisus tuâ satis perspectâ prudentiâ , committo insuper eidem tibi vices meas , ut omnia ista Pontificijs Bul- lâ signatis literis indulta nobis Privilegia omnis generis , dispensare ac impertiri pos- sis quibus & quatenus ad Dei Domini No-
stri

510 S.FRANCISCI XAVERII
stri majus obsequium expedire judicaveris.
Goæ vii. Idus Aprilis 1544.

Franciscus.

E P I S T O L A V.

EIDEM PATRI GASPARI GOA-
NI COLLEGII RE-
CTORI.

VT istâ quam tibi demandavi Goani
hujus Collegij & Sociorum per hos
tractus gubernatione, rectè ad tui & alio-
rum animi fructum defungi valeas, hac
in procinctu peregrinationis longinquæ
scripto expressa mandata relinquenda tibi
censui, quæ te majorem in modum velim
sæpius absente me legere, memoriâque
præsenti semper amplecti: quod horum
ductu consilioque Monitorum in omni
cuiusquemodi negotiorum administratione
ad eum quò unicè aspiramus Divinæ majo-
ris Gloriæ scopum te utiliter dirigendum
existimem.

Ante omnia fatage ut in continuo in-
timæ tui depressionis sensu defixum teneas
ani-



animum , juxtâ ea quæ tibi aliâs poscenti
de hoc genere præcepta tradidi : quotidiana
ea Meditatione recolens , ijsque altè
penetrandis insistens , quoad insculpas in-
delebiliter tuæ menti , tum quæ tibi sug-
gesli , tum quæ illa ipsa commentanti ti-
bi Deus per suam Misericordiam inspirare
dignabitur . Cum Patribus , sive qui Do-
mi tecum vivunt , sive qui alibi degentes
tibi subsunt , age semper cum magnâ mo-
destiâ , affabilitate , indulgentiâ , sine aspe-
ritate ullâ vel fastu ; nisi si qui eorum tuâ
moderatione & humilitate abuterentur .
Tunc enim , intuens duntaxat utilitatem
ipsorum , non autem quasi Dominium san-
ciens proprium , & tuæ autoritatis con-
temptum ulciscens , potestatis tuæ ijs mo-
dicè castigandis specimen edes , præcisè
quantum opus erit , ut & prolapsi suble-
ventur emendatione necessariâ , & Fratrum
Nostrorum qui culpam viderunt , offendio
salubri coërcitionis exemplo deleatur . Quid-
quid à Patribus aut Fratribus contra obe-
dientiam peccabitur , aliquâ pœnâ vindicetur : & in hoc Sacerdotum supra Cleri-
cos aut Laïcos nihil eximij sors habeat . Si
qui è tibi subjectis superbè se tecum ge-
rent ;

rent; & opinione sui tumidi, supercilium
elatum ac frontem duram opponent tuū
nutibus, eos tu vicissim preme, plus im-
periosæ severitatis quām benignæ affabili-
tatis ad illos adhibens. Ergo pœnas isti
maximè pro culpis quotidianis publicas in-
junge: ac omni ratione provide ne debili-
tatem in te aliquam hi sentiant, seque ti-
meri putent; ideoque impunè ferre cùm
alia acta perperam, tūn præsertim quæ
contra Moderatorum Imperium delinquent.
Nihil magis confirmat in audaciâ, pro-
hitque ad rebellionem contumaces subditos,
quām experimentum infirmitatis in Präsi-
dibus; quos ubi animadverterint circum-
spectare ac vereri, nec audere pœnas in-
dicere, reverentiam majoribus debitam &
obsequium negantibus, immane quantum
inflantur, usque ad insolentem præfiden-
tiā; in quā successu ipso corroborati per-
severant; immò crescunt semper, perni-
ciosissimis quieti publicæ augmentis. Fac
igitur omnino quod jubeo. nec te respectus
ullus aut metus judiciorum sermonum
teneat, quo minus quod debes exequaris.
Sunt è Subditis guidam non pervicaces aut
Refractarij, at debiles & obliviousi, qui
jussa

jusla Majorum non ullo contemptu migrant,
sed interdum negligunt, ignaviâ quadam,
ac imprudentiâ. Hos coérce benignius,
reprehensionum acerbitatem temperans sere-
nitate vultûs ac frontis; ac necessariò piacu-
lo erroris, pœnæ levis inductione defun-
gens. E Fratribus Laïcis si quos videris
suprà sortem suam arrogantiæ quadam spe-
cie efferri, da operam attentissimam ut de-
primas, vilissimis quibusque applicans usûs
domestici ministerijs, tum ijsdem, quoad
istâ opinione lui subnixi apparebunt, vul-
tum semper gravem ac severum aspernabun-
dè offerens. tumoris remedium id frigus
fuerit. quo icti si se contrahent; tum sanè
licebit de fastidio remittas; ipsis jam in mo-
destiam submissis, temperato statim despe-
ctûs rigore, quasi gratulans, ut ex com-
paratione contrariorum è contrarijs ceptis
eventium, per se intelligant, quid expe-
diat: interimque perniciosum errorem de-
ponant, quo sibi blandientes istiusmodi ho-
mines interdum credunt; se necessarios So-
cietati esse: quam tamen superbis non egê-
re, ex eâ secum, quandiu plûs æquo sibi
arrogant, Rectoris austерitate, si sapiunt,
sentient.

Kk

Cave

Cave unquam adducaris ut in Societatem admittas homines exiguae industriae parvi judicij , modici captus , infirmarum virium , nulli admodum rei benè gerendi idoneos ; aut quos suspicari possis , tamen inopiæ domesticæ potius quam Deo serviendi studio , animum ad Religionem appellare . Quos tu , aut Pater Morales admiraris , velim per te ipsum exerceas commentationibus Asceticis per mensem ; neque ad id Vicario utaris aliquo è Fratribus . Toto illo tempore acri eos attentio ne observabis , penitus explorans , quod intimè pernoscas . Absolutis exercitijs occupabis illos vilibus officijs , puta curæ infirmorum in Nosocomijs publicis , ministrijs domesticis culinæ , aut id genus obsequijs humilibus . Dum meditationibus vacant exiges ab eis diligenter rationem contutus quem adhibuerunt in recte , juxta præscriptam formulam , obeundis Orationibus solitis . in quo si eos ignavè ac rapide versari certò deprehenderis , vel eos remittere unde venerant poteris , mature Societatem exonerans : vel si spes emendationis alluxerit , amovere ad dies aliquot ab exercitio sacrarum Commentationum ;

velut

velut in pœnam eos privans honore , quo se indignos præbuerunt suâ negligentia , ut istâ velut notâ confusi , acriùs desiderent redire in stadium cum Socijs ; & pariter ac illi legitimo spatio certare .

Circa votorum nuncupationem hanc regulam tenebis . Primum edices cunctis quos ad probationem admiseris , ne ullâ se Deo promissione obstringant , nisi re- priùs tecum communicatâ , & tuo in id af- sensu impetrato . idque potissimum incul- cabis in principio exercitiorum . quos satis probatos vota ritè concipere oportuerit , ij disertè polliceantur Paupertatem , Caſtitatem , & Obedientiam . Sed priùs admo- neantur ; contractâ ipsos , vi Religionis istius , eò duntaxat usque obligatione stringendos , quoad in Societate perſtiterint ; è quâ ; si (quod Deus prohibeat) propter ipsorum culpas à Rectore , aut alio qui ab eo po- testatem acceperit , amendentur , soluti prorsùs mansuri fint omni vinculo ejusmo- di votorum . Porrò hæc vota concipian- tur te præſente , pronunciantibus qui vo- vent , ex formulâ scripto à te traditâ , ver- ba quæ hanc eorum oblationem indicant . ritùs etiam cæteros ijs , prout convenit

K K 2 an-

516 S.FRANCISCI XAVERII

ante præscribes : In quibus sit : ut facis
operante Sacerdote , ac venerandum Chri-
sti Corpus ministrare parato , ipsi prius
clarâ voce pronuncient formulam votorum
tum continuo Sacrâ Eucharistiâ impertian-
tur . Hæc obligationis votorum ex perse-
verantiâ in Societate suspensio , eò magis
in hisce Indiae Partibus est necessaria , quod
minùs multa sunt hic Cœnobia Religios-
rum Ordinum alterius Instituti , ad que
transmitti possint qui Nostrâ Religione se-
mel ritè suscepit , inepti ad eam depre-
henduntur . Quare ut libertas abscindendi
à se membra noxia , sine quâ stare Nostra
Societas nequit , integra ei conservetur ,
omnino expedit declarare voventibus , ne-
xum quo se implicant , nuncupandis Reli-
gionis votis , legitimâ ipsorum è Societate
per ejus Præpositos dimissione resolvendum .
Scribes ad Socios ubicumque horum Tra-
etuū degentes , vetans ne quisquam uspiam
ipsorum , te inconsulto , ulium in Societatem
admittat , & admonens , si fecerit , irritum
id fore ; quod potestate ad id legitimâ ca-
reant . quare si qui se offerant , quos idoneos
putent , perscribant ad te quibus ijs
dotibus ac facultatibus ad operam Divino
obse-



obsequio in Societate navandam sint prædi-
ti . Responso à te accepto , quo non ab-
horrere te significes ab ijs albo Sociorum
adscribendis , tum sanè spem illis dari cer-
tam optati assequendi nihil vetet . adeoque
vel mitti ad te , si juss eris , Goam pote-
runt ; vel si malueris , præcipies , ut ibi-
dem ab aliquo Nostrorum ad hoc idoneo
Alceticis commentationibus menstruo spatio
exerceantur , & sic interioribus nostræ Di-
sciplinæ probationibus admoveri incipient ;
quamquam universim conducibilius puta-
rem , ubi non obstiterit impedimentum
insuperabile , vocari eos ad hoc Colle-
gium . ibi enim videntur commodiùs &
certius explorandi . Tamen , ut dixi , rem
totam permitto arbitrio tuo ; secuturi vi-
delicet in hoc & alijs , verè & unicè ,
quod rectissimè ad majus Dei obsequium
credideris tendere . Omnibus per hos Tra-
ctus Præsidibus Domuum , aut Stationum
Societatis , ubi negotium procurandæ salu-
tis Animarum vel primariò à nostris geri-
tur , solis illic Ecclesias proprio Pastore
destitutas regentibus , vel ordinarijs loco-
rum Sacerdotibus subsidiariam navantibus
operam , commendata diligenter , ut siñgu-

K.K 3 lis

518 S.FRANCISCI XAVERII

lis omnino annis ad Nostrum Beatum Patrem
Ignatium accuratè ac copiosè scribant, ex-
ponentes singillatim quidquid boni Deus
per ipsos efficere dignatur in ijs locis &
gentibus quas excolunt. Sed caveant se-
dulò ne isti narrationi quidquam interfe-
rent quo ullus legentium possit offendiri.
re-
facent si quæ sunt inemendabiliter pecca-
ta, sine operxpretio vulganda, cognoscen-
da cum scandalo. qualium inauspicata men-
tio Lectores inutili moestitiæ, scriptores ju-
ftæ reprehensioni imprudentiæ subiiciat,
Indicare satis habeant quæ nosse juvet, quæ
memorari dignum sit. Propagationem Re-
gni Dei, victorias gratiæ, conversos ad
Christi Religionem Idololatras, emeros e
cœno criminum fceleratos. Addant si qua
spes se ostendat ulterioris brevi profectus
exituri. Mittant & alias eodem argumen-
to, pari delectu compositas literas ad uni-
versos per Europam Socios, per quas ijs
communicent ad Dei Gloriæ & Solarium
mutuum, successus laborum suorum, a-
trà fugillationem ullius, querelam intem-
pestivam, aut importunam enunciatione n
tacendorum. Eæ inscribi poterunt partim
Socijs Conimbricensibus, totâ per ipsos
Hispa.



II
Patren
t, ex
i Deus
ocis &
ant se
interf
udi. re
pecca
noscen
a men
ores ju
ijsciat,
t, que
em Re
sos ad
versos è
t si qua
ofectis
gumen
d uni
uas ijs
latium
, c
ntem
one n
partim
ipos
pa.

NOVARVM EPIST.Lib.6. 519

Hispaniâ spargendæ ; partim Romæ degen-
tibus , ac quoquoversum per Europam reli-
quam diffusis Patribus & Fratribus Societa-
tis . Præterea tu privatim ad Rectorem
Collegij Conimbricensis de statu ac fructu
tui hujus Collegij Goani scribendo indi-
cabis ea quibus illum gavisurum cognitis
arbitrabere . nec verò ad hujus judicium
solius , scriptioñis tuæ formam exigas . alios
cogita plurimos cujusquemodi Ordinis illud
tuum scriptum (nam talia cupidè visuntur
& latè sparguntur) expensuros ; quorum
timere ac prævertere censuras , pudoris ac
prudentiæ tuæ fuerit : quin & insuper dare
operam , ut non solùm sine offensione , ve-
rū cum profectu legentium , curiositati
possit publicæ satisficeri istis à te digestis
Indicarum rerum narrationibus vulgandis .
Propriè Nostrum Beatum Patrem Ignatium
edoceas accuratè scriptis literis censeo ,
quanti , ad Dei Gloriam promovendam in
his Indiæ Partibus , & profectum majorem
animatorum procurandum , intersit impetra-
ri per eum isthic à Summo Pontifice , No-
stræ per hos Tractus Societati gratias spiri-
tuales , puta Indulgentias Plenarias ijs pro-
positas qui ad Poenitentiæ & Eucharistie

Kk 4 Sa-

520 S.FRANCISCI XAVERII

Sacramenta rite acceſſerint. Oporteret autem redire aliquoties per annum , festi scilicet celebrioribus , facri ejus lucri opportunityes populis oblatas , nec uno brevi tempore cunctis simul locis indici. Quoniam cum exigua hic copia ſuppetat ſacerdotum , præfertim idoneorum cauſis conſcientiæ peritè dijudicandis , ſpatium non angustum dandum eſt multitudini conſentientium ad explicandoſ ſinus omnes animi , & piacula neceſſaria explenda . Tum Patribus otium præberi convenit , quo ex Vrbe vel Pago uno rite impertito Pontificiæ Indulgentiæ fructibus , ad alium transmigrantem ſimiſi beneficio donandum . Admone autem ut curet , ſi poſſit fieri , confeſſiones iſtaſ gratiarum mitti huc rite confignataſ diplo- matibus ſubſcriptione legitimâ & ſigillorum appenſione firmatiſ , quæ ad Fidem fuſpi- ciosioribus faciendoſ ostendi queant . non enim in hiſce regionibus deſunt qui ægri adducantur ad pro indubitatis admittenda Indulta ejusmodi , niſi formulis atque in- dicijs undequaque certiſſimiſ comprobentur . Expediret etiam diſerte iſtiſ bullatiſ diplo- matibus exprimi , velle Pontificem exten- di ſui hujus Beneficij uſum fructumque in-

omnes



omnes cuiuscumque sexus , ætatis , Ordini , Christi Fideles , qui ultrà caput Bonæ Spei usque ad extremum Orientem Inquili , vel Indigenæ , aut quavis ex causâ peregrinantes , diversantur . Facilius persuadebis Patri Nostro Ignatio ut in hoc elabore non gravetur , si , quod verè potes , magnificè prædicaveris fructum Animarum , qui ex Iubilæo huc ab illo semel antehac missio planè ingens ac stupendus extitit . Quod Iubilæum , cum isto , quod indicavi , angustiarum temporis , brevi die præscriptâ , urgeretur incommodo , si tamen tam insigniter profuit , inferes quanto plus sperandum insignis lucri sit ex Plenarijs Indulgentijs per spatia plurium annorum in certas festorum recurrentium solemnitates aptè descriptis . Expromas in hac causâ censeo tuam omnem persuadendi vim , nihilque reliqui tibi facias ad summum conatum evincendi , ut in eo Pater Ignatius impletando quantum potest enitendum existimet . addens etiam me hoc ab ipso majorem in modum contendere , in Beneficij singularis parte numeraturum , si meis inflexus precibus , hisce populis tantam Cœlestium utilitatum occasionem gratificari non dedi-

522 S.FRANCISCI XAVERII

dedignabitur. Scribas etiam ad Magistrum Simonem , aut Rectorem Collegij Conimbricensis , orans , ut eâdem hac de re cum Rege agant ; expositoque fructu immenso qui ex ejusmodi promulgatione Indulgentiarum colligendus certò est , impetrant ab ejus Majestate , ut suis Romam Literis negotium adjuvet , aut potius pro suâ summa illic autoritate , atque apud Pontificem gratiâ , conficiat ; curans diplomata ejus generis Patri Ignatio consignari , quippe inscripta Societatis I s s v Collegio Goano , ut Patrum illic degentium arbitratu publicentur . Hinc enim fiet , ut Populi procuratis & ministratis per eos definiti gratijs , studio ipsos & veneratione majori amplectantur ; quâ vulgo acceptiores labores ipsorum , ac sic omni passim hominum gñeri utiliores evadant . Poscentes Societatem , utcumque non ineptos , cave admittere festines in ætate adhuc nimis tenera . Prorsus verò rejce quos ad ea pertinerent hominum genera constiterit , quibus nominatim Pater Ignatius Nostri Ordinis adatum voluit semper esse obstructum ; quorum , ut scis , unum est , trahentium Originem à Gente Iudeorum . attende præ-

rea



RII
agistrum
Conim-
re cum
mmento
dulgen-
trent ab
teris ne
uâ sum-
ntificem
nata ejus
quippe
Goano-
u publi-
uli pro-
iti gr-
jori am-
labors
num ge-
Societ-
admis-
tenuer-
rtinere
ous no-
nis ad-
; quo-
um Ori-
prate-
rea

NOVARVM EPIST.Lib.6. 523

rea ne quem admittas non egregiè dotatum facultatibus ad rem benè gerendam in aliquâ parte proprietorum Instituti Nostri ministeriorum , accommodatis . Si verò funditus rudes literarum sint , utcumque polleant ingenio , in Spirituales Operarios adscisci planè veto . quin ubi exceptione carentium multitudo se oggereret , Tu tamen turbam vita . Paucos ex pluribus , dignissimos è dignis excerpens felige , pro numero locorum & munierum , habitâ simul ratione casuum contingere solitorum ; ut nec desint quos mittas quocumque res vocat , & morbo , aut morte deficientibus substituas ; nec tamen abundant otiosi , aut numero Domum gravent . Promoveri ad Sacerdotium Sociorum quemquam non satis literatum , & morum innocentia usu plurium annorum abundè probatâ conspicuum , haudquaquam fines ; quandoquidem id Pater Ignatius tam disertè prohibuit . & si taceret ille , res ipsa loquitur : tristisque recordatio incommodorum quæ ex hoc fonte orta gravissima sensimus , deterrere ab eo nos satis debet . neque fucum tibi faciat spes eximiæ Religionis in idiotâ eminens ; quasi eâ compensari Doctrinæ defectus queat . nam has spes



spes eventus non raro coarguit ; occasionibus larvam exutientibus ; & ferè ad extre-
mum unoquoque se talem prodente quiliis revera est . quare lynceum te velim
in penitus introspiciendis recessibus meo-
tium . nec statim capi lachrymulis inter pro-
ces fusis , aut suspirijs excussis pectore que-
rundam dum sacra meditantur : at quo
certis experimentis perspexeris , acriter im-
perare ipsos pravis affectibus naturæ , iram
cupiditatem , pervicaciam semper frange-
re ; abhorrente vehementer ab omni captio-
nione inanis gloriae , certo istis judicio-
tribuas decus absolutæ omnibus numeris &
usquequaque consummatæ Sanctitatis .

Ordo caritatis postulat , ut prius &
magis , domesticis quam externis consulatur.
Quare vide ante omnia , ut primùm ergo
Fratres Nostros , erga Pueros & Orphanos
Indigenarum , Alumnos hujus Domus , pa-
tes officij paterni planè omnes expleas ; an-
mis horum & corporibus ea sollicitè pro-
rando quibus egent . Hac curâ perfunda
licebit quod supererit otij ac virium effun-
dere ad benemerendum de alienis quoque .
Hoc tibi & nomine Patris Nostri Ignati
præcipio , & ex animi mei sententiâ quam
pos-

possum impensisimè commendo . quippe
habeo persuasissimum , præcipui hoc moni-
tum momenti esse . nec ferè tolerabilius er-
rare illos , qui oculis hominum probare se ,
speciosâ superficie contenti , nihil pensi ha-
bent intima mentium rimantibus Dei obtu-
tibus satisfacere , quām qui securi querela-
rum domesticarum , Civitatis captant gra-
tiam , nescie perperām arbitrantes officium
explesse , cuius primo ac potiori capite ne-
glecto , in posterioribus duntaxat & acces-
sorijs totum præpoferè consumpserint stu-
dium . Aberrant totā viā qui sic agunt .
quorum in numerum ne venias , singulis
te cupio diebus hujus admonitionis meæ re-
fricare memoriam . Spissum adeo ac mul-
tiplex istius tibi commissa Præfecturæ nego-
tium video , ut manifestum sit , cunctas ejus
partes obiri à te uno nequaquam posse .
quare cum necesse sit Vicarijs te uti qui
singularia multa pro te curent ; duo in
hoc tenere te cupio : prius , ut quos ad
quidque adhibebis , peritos rei quæ com-
mittitur noveris ; alterum ut sedulò ijs in-
vigiles , rationemque subinde repetas acto-
rum ; nec si quid peccaverint inemendatos
finas . quare tibi velut in altâ speculâ loca-
to ,

526 S.FRANCISCI XAVERII

to , Generalem in omnes vigiliam demum
datam puta , in quâ prout inconnivent
intenreque , oscitarter aut remissè versab-
re , ita benè aut malè subditis cōsula-
& vel officio satisfacies , vel reum te per-
ges malè administratæ potestatis . Potissi-
mam hujus injunctæ tibi providentia p-
tem ea ministeria sibi vindicant , quorum
utilitas patet latius . Quocirca præcipue
tentum esse te oportet , primùm Nostrorum
Orationibus ad Populum è sacro pulpito;
deinde auditioni Confessionum : Prætere-
colloquijs eorumdem , ac conversationi cum
Externis ; postremò Tractationi piorum
operum : Concionatores & formando ad
veram eius functionis ideam , & probando
ac corrigendo cum opus fuerit : Confessio-
rios admonendo & erudiendo quantum ei
satis , tum prout licebit explorando , ut
gerant : Postremò satagendo , ut Nostro-
rum congressus familiares cum varijs geno-
ribus hominum , frugiferè ac religiose
obeantur , ac tum ante instruendo , tum
post examinando ; quò exactè dirigantur ad
perfectionem Instituto Nostro consentaneam.
De Sociorum prædicandi causâ peregrinan-
tium , aut per stationes hinc dissitas varie-

spar-



sparorum statu actisque , ut quām frequen-
tissimis , ijsque fidis nuncijs , fias certior
impensē cura . Scribes ijs crebrō , nec per-
functoriē ; sed cuncta minutū explicans .
Iubebis vicissim sāpe illos ad te copiosē-
que rescribere . Huic commercio sedulō at-
tendes : per otium considerans quas acci-
pies literas ; nec nisi meditatō tuas dictans .
denique , quod rē est , statuens : magnam
officij tui partem eā diligentiā contineri .
Super hāc , Externos qui ē locis ubi No-
stri degunt venerint , curiosē de ijs inter-
roga , ut se gerant , quā existimatione
sint , quid à Populo dici de illis audie-
rint ? Scribas ad me Malacam plenissimē
de cunctis hujus Collegij rebus , de singu-
lis Nostrorum ad Evangelizandum missis ,
ubi quisque , quā strenuitate , quo succeſ-
su elaboret . cave cursim defungaris . hā-
re in singulis : ad infima descende . Ad-
de quo loco sint res etiam politicæ illorum
Tractuum nam & hāc nosse nostra interest .
nec omittas quid aliorum quoque Professo-
res Ordinum ad Dei Gloriam & salutem
Animarum , quo eventu moliantur . Ad-
junge quid ē Lusitaniā recentibus nuntijs
feratur . de Nostris Conimbricensibus , Ro-
ma-

528 S.FRANCISCI XAVERII

manis , ubicumque per Europam degentibus , quid fama memoret , quid scripta nostrorum indicent . Quæ literæ , præsentim à Rege , à Magistro Simone , à Romanis Amicis ac Patribus mihi inscripti tibi reddentur , earum , si pluribus , afolet , exemplis venerint , unum exemplar Malacam ad Patrem Franciscum Perzium destinabis . nam huic mandabo , eas ad me descriptas , non unâ viâ dirigas . Sin unicum illarum exemplum accepis , aperies & describi à fido amanuensi cunbis . tum Archetypo retento , Apogaphum mittes Perezio . Hoc annis singulis exequi sollicitè memento . Efficies omnino ut Patres qui Bazaini , Cocini , Colani per Oram Comorinensem , in Sancti Thomæ ; degunt semel quotannis ad me scribant accuratè ac fusè . minimè vellem hoc ab illis aut à te negligi . Vehementer etiam atque etiam commendo , ut tu ac Patres omnes , morigeros vos & planè obedientes Domino Episcopo præstetis : diligentissimeque caveatis , ne quidquam ulli unquam in re ipsi faceatis molestiæ ; sed contrà studeatis in cunctis , quantum maxime potestis , inservire ac gratificari Patri tam bene-



benevolo atque indulgenti , tot nominibus
merito , nt cunctis obsequijs pietatem ipsi
summam rependamus . Patribus qui extra
Goam degunt , mandabis ut DominumEpi-
scopum scriptò identidem venerentur , bre-
vibus literis , quæ fructum duntaxat anima-
rum quem ex suis laboribus Deo adjuvan-
te colligunt , nuntient . Addant eodem
quidquid verè possunt in ejus Vicarijs loca
illa tenentibus laudare , prolixè commen-
dando si quid benè ad utilitatem publicam
gerunt . quidquid item alij Religiosi & Sa-
cerdotes , concionando , sacra cætera mini-
steria obeundo , lucris Ecclesiæ apponunt ,
liberaliter celebrent . Si nihil sit boni quod
referant , fileant de his ; nec suarum esse
partium putent querelas de Proëpiscopis
vel alijs Evangelicis Ministris ad Episcopum
deferre . non deerunt qui deferant . quin
etiam nollem si cuius alterius negotij cum
Episcopo tractandi necessitas inciderit , id
istiusmodi Epistolis inferi , quas ad consol-
andum & recreandum bonum Patrem me-
rè comparatas velim . Ergò dum tale quid
occurret , seorsum scribatur . Seriò admo-
nebis nostros omnes meo nomine , ut mul-
tam obedientiam ubique Proëpiscopis exhi-
beant:

L L

530 S. FRANCISCI XAVERII

beant : denuncians , mihi fore molestissimum
si audire alicunde contigerit litem ullam
aut controversiam exortam inter ullum
Proëpiscoporum & Patres Societatis qui lo-
ca illi subdita excolunt . Addes cupere
me , distinctè memorare ipsos in literis
quas ad me dabunt , quām benē illis cum
Proëpiscopo conveniat . Gratissimum etiam
mihi esset , efficere ipsos , ut ipsi Proëpi-
scopi literis ad me scriptis testarentur ,
quām benē & quanto fructu Patres Nostri
in suis Territorijs laborent . Hoc iterū
pro rei momento inculco , provide etiam
atque etiam , oro te , atque omni ratione
fatage , ut in Arcibus præsertim Lusitano-
rum , Nostri qui stationes illic habent , con-
junctissimè cum Proëpiscopis vivant , nec
quacumque tandem ex causâ ullam cum
ijs contentionem fusciant . Ac quò plus
hæc commendatio apud ipsos habeat pon-
deris , disertè perscribe iijdem literis qui-
bus hoc mandabis , me in Sinas solventem
scriptum in hoc Collegio mandatum tibi
reliquisse , ejiciendi è Societate quoscumque
nostrorum qui apud Proëpiscopos offendere-
rint , aut cum ijs simultates quoquomodo
fusceperint . Ages post meum discessum
cum



RII
iffimum
ullam
ullum
qui lo-
cupero
a litem
lis cum
n etiam
Proépi-
rentur,
Nostr
iterum
etiam
ratione
asitano-
nt, con-
t, nec
a cum
ò plus
t pon-
ris qui-
ventem
m tibi
umque
ffende-
omodo
essum
cum

NOVARVM EPIST.Lib.6. 531

cum Domino Episcopo , ut si ei videatur, scribat de Iobelæo ad loca ubi Patres Societatis sunt , jubens illud promulgari, quod Animarum fructus ex eo qui speratur possit existere . Laxatum huic Iobelæo spatum est in totum hunc annum 1552, ut commodè valeant eo frui quotquot in Arcibus Lusitanorum variè sparsis per Indias , procul interdum ab opportunitate purgandi animum per Confessiones , degunt : quibus illa morâ poterit consuli , submittendis ex alijs in alia loca ubi opus fuerit , Nostris Patribus . Ea mihi causa fuit procurandi , ut in hunc annum universum facultas lucrandi tam insignem gratiam extenderetur . Si fortè inter Patres qui hoc anno è Lusitanâ venient , aliqui essent facultate dicendi ad Populum plûs quam mediocri prædicti , unum ex ijs censeo Dium mittas cum Laico adjutore , mandata ei tradens quæ olim scripsi Sedem Armuzianam tenentibus . Ea sunt , ut scis , editionis quasi duplicitis . nam & tibi eam primùm Stationem adeunti multa præcepi . tum ei qui tibi successit in eo munere quædam addidi . Scripti utriusque scio exempla superesse . Horum copiam

LL 2 fac



fac habeant si qui Dium mittentur; enī
commendans ut lectitent ac sedulō obser-
vent. Inter appulsuros ē Lusitaniā No-
strōs proximo navium adventu, si quem
animadvertes, non illum quidem exercita-
tissimum in dicendo, aut à quo sperare
liceat motū ingentes Concionis; non ine-
ruditum tamen, sed qui videatur pro &
animi & corporis viribus, futurus patiens
laborum, hunc navigatione quæ fit Goi
Malacam flantibus Aprili Etesijs, eò desti-
na; ut Malacā Iaponem petat opportuni-
tate primā, illic coniuncturus operam cum
Cosmo Turriano. Verūm provideas opor-
tet, ut pecuniolæ aliquantulum alicundē
emendicatae eò secum ferat, unde ipse ac
Socij viūtent: nam Operarijs adhuc Evan-
gelicis illa terra laborum duntaxat, ferax
est. Bonorum quæ agant, malorum quæ
patiantur habent affatim, subsidiorum vi-
tæ ac solatiorum corporis nihil fermè. qua-
re adhibe animum ad eos utriusque gene-
ris auxilio juvandos, in eoque summo stu-
dio contendere te velim. ac præterea tuis
aliorumque precibus ac Sacrificijs à Deo
impetrare fatage, ut esse ipsis propitius
dignetur, tum illuc euntibus per tot discri-
mina

mina vasti & infesti maris , tum illic inter
ærumnas ac pericula versantibus . Si , quos
Classis è Lusitaniâ expectata nobis hoc an-
no Patres advehet , ij pariter omnes elo-
quentiâ simul & eruditione supra vulgarem
excellerent modum ; ita ut nullus esset eo-
rum qui non plus facultatis ad dicendum
è sacro pulpito habere videretur , quam
Noſter Antonius Herediâ qui Cocini eo
munere fungitur , volo unum ex his ma-
tutè Cocinum mittas ſuccellurum illic He-
rediæ , & mandatum ei à te allaturum
conferendi fese in Iaponiam . Sed priu-
quam hoc decernas , explora diligenter ec-
quid omnino verisimillimum sit utilius
iſtum , & uberiori quam Herediam fructu ,
concionandi officium Cocini gesturum . ni-
ſi enim de hoc fatis conſtet : ac contrà
prudenter existimetur , parem duntaxat & ni-
hilò ſuperiorem dicendi vim huic recens
advecto & Herediæ competere , nihil puto
effe cauſæ debere cur quidquam illic mute-
tur . quo circa reliquo ubi eſt Herediâ , illum
alium novum Concionatorem in Iaponiam
mittas censeo . Simile quidpiam injungo
circa Melchiorem Nunnezium qui Bazaï-
nensi præfet Collegio , & Concionatoris ibi-

L L 3

dem

534 S.FRANCISCI XAVERII

dem munus exercet . Velle , inquam ,
si copiam Oratorum insignium Lusitanæ na-
ves attulerint , unum ex ijs Successorem
Nunnezio dari . talem scilicet qui & ma-
gnos animorum motus concitaturus in Po-
pulo dicendo , & domesticæ administratio-
ni , etiam rei pecuniariæ & vestigalium ,
quæ Bazaïni ad alimenta Operarum Evan-
gelicarum Societati Rex assignavit , pru-
dentiâ & attentione par futurus videatur .
Tum verò Melchior Nunnezius , Bazaïnen-
si procuratione liber , Etesijs Aprilis Mala-
cam naviget , inde Iaponem petiturus .
Gauderem equidem , pro eâ quam teneo
notitiâ dotum Melchioris præstantium , &
illâ Bazaïnensi occupatione superiorum , ta-
lem hominem expeditum illinc , substituto
idoneo successore , posse transferri . Doctri-
na enim , quâ est insigniter excultus , illic
multò esset utilior quâm Bazaïni modò est .
Id porrò si fieret , moveri Herediam Co-
cino haud expediret ; cum alijs de causis ,
tum quia Iaponienses angustiæ plus uno au-
geri Socio non exigunt , nunc quidem
cæterùm tu omnem (quod solet dici) fu-
nem move , nihilque conatus ac contentio-
nis omitte , quoad efficias , ut saltem unus
hoc



hoc anno in Iaponiam , Comes illic futu-
rus Cosmo Turriano , naviget . Cum Re-
verendis Patribus & Fratribus Ordinum
Sancti Francisci & Sancti Dominici , tam tu ,
quam Nostri omnes Goani Collegij , veram
semper amicitiam , omnibus , quod ad vos
attinet , Religiosae caritatis plenè cultam of-
ficijs , tenete : ac diligentissimè , quod in
vobis est , cavete , ne ullam cuiquam illo-
rum , quisquam vestrūm dissidij ansam præ-
beat . Si ab illis discordia ceperit , cuius
significationes è sacro ipsis pulpito erum-
pant , Vos ijs responsare arbitro populo ,
per Deum , abstinetе . dicant illi quod
suus illis zelus dictaverit : Vos silendo ca-
ritatis & obedientiæ debitum explebitis .
disertè quippe veto vos contentionis funem
cum strepitu , quolibet prætextu , ducere .
nolo , inquam , quantumvis læsi , utcum-
que immerito infamati vobis videamini ,
verbum unquam publicè mutiatis , quo ve-
stri doloris & sensus injuriarum indicium
capere vel minimum Auditores queant .
Planè nihil tanti est , quo Populi offendio
ejuscemodi ex conflictibus nasci solita pen-
setur . Si tamen ex impunè contra vos
frequentatis declamationibus Adversantium

Ll 4 ori-



oriri scandala cum Dei offensâ conjuncta cerneretis ; incertumque, non sine damno animorum, hærere Vulgus , dubium utri dī sentientium credat ; deferetis rem ad Dominum Episcopum , & eum orabitis , ut vocare ad se dignetur eos à quibus palam traducimini ; ac auditis corām vobis accusationibus eorum , & post illas vestris defensionibus , controversiam suo judicio finiat , pacemque reddat rebus , ac querelis conciones turbantibus modum ponat. quandoquidem nos , item ut Patres illi , unum cuncti pariter spectamus , nimirum ut Dei cultus augeatur , & Animæ ad salutem proficiant . Istâ interpositione autoritatis Domini Episcopi , satis (quantum vestrarum est partium) præcavebitis , ne & Dei Mæstas , & Populi simplicitas , ejusmodi certaminibus offendatur . Denique conciliatam per hunc modum vos inter & memoratos Patres Gratiam , alere atque augere combimini , visendis interdum ijs , & omni Religiosæ caritatis officio prosequendis . Parochos hujus Civitatis , & quocunque titulo Ecclesiarum singularum Präfides , omni benevolentiae significatione demeremini ; gratificantes ijs prolixè si quid postulent , quod

quod in manu vestrâ sit : concionantes
quoties rogabunt in templis ipsorum curæ
commissis ; & in omni occasione occur-
suim aut congressum sic agendo ac lo-
quendo , ut illi vos sibi esse amicissimos
planiè persuasum habeant . Negotijs sacu-
laib[us] cave Te aut Socios implicari quo-
cunque prætextu finas . Cum h[ec] ad vos
detrentur , respondete : vobis ab admini-
stracione Verbi Dei ac Sacramentorum , vix
supresse tantum otij , quantum est necessa-
riun Orationi & studio , quibus vos compa-
retis ad sacras functiones perorandi ad po-
pulun & in Pœnitentiæ Tribunal ius di-
cendi. non posse vos , nisi perturbato cari-
tatis ordine , præhabere procurationi Sa-
lutis Animarum & cultus Divini , quæstum
terrenrum rerum , & curas humiles tem-
poralium proventuum . Sic tricas ejus ge-
neris à te ac tuis cunctas excuties . ni fa-
cias ; grave tibi ac Societati damnum illa-
turus . nam scito eâ portâ Mundum in Re-
ligiosas Domos plerumque irrumpere , cum
summâ pernicie Religiosorum ac Religio-
ni . In congressibus eorum qui te conve-
niant introspice solerter quid quisque spe-
ctet . nam sunt qui spiritualis profectus ,
sunt

538 S.FRANCISCI XAVERII

sunt qui temporalis commodi causâ no
adeunt . quin etiam satis constat reperi
non paucos , qui Confessionis Sacramentum
quæstui obtendant , nostris se Sacerdotibus
in aurem admoventes , potius ut occultorum
rei domesticæ vulnerum ac familiaris ino
piæ , quam peccatorum indicium afferant.
Ab his etiam atque etiam ut tibi caves,
moneo . Adeoque ne in errore diu in
reant , maturè istis denuncia : nec erega
tione pecuniaæ , nec suffragatione favoris
humani posse te ipsis prodesse . Colloquia
porrò cum talibus breviter expedi . nam
lardi verborum sunt . & si aurem incusse
ris , multum tibi otium absument sine
operæ pretio . quoniam id genus ad sensum
spiritualium detimentorum ferè ocalluit;
totâ mentis attentione in desiderio corporo
rum , quibus egent , solatiorum unice
defixâ . Eiusmodi ergo , seu viri , seu mu
lieres , cujusque ordinis aut generis tan
dem sint , vide ut paucis abs te dimissis
procul habeas , velut fucus tuo mellificio in
festos : qui merè terrena sapientes , quem
implicare sibi potuerint , citius è Cœlo
detrahant , cessare à salutari animarum sub
sidio importunis de cibo corporum in
pella .



RII
isā no
reperi
mentus
dotibus
ultorū
ris ino
fferam
cavens,
diū br
erga
favoris
olloquia
ianu
naulse
nt sine
fensum
alluit;
corpo
unice
eu mu
s tan
missio
cio i
quen
Codo
m sub
inter
lla.

NOVARVM EPIST. Lib.6. 539

pellationibus cogentes , quām ipsi eius qua-
tolibet conatu ē vilium , ubi desident , cu-
rarum cōeno quodam attollantur . Hoc
mandatum eō inculco instantiūs , quod sum-
mē tibi necessarium clarē perspicio . nec
pensi quidquam habeas quid clam questuri
aut murmuraturi de te sint isti nundinato-
res humanorum ē religione quæstuum , ubi
tuam suæ cupiditati minus quām vellent
morigeram ulcisci constantiam incusando
conabuntur . contrā fac sentiant : nullā te
judicij eorum verecundiā teneri , nullo re-
spectu offensionis angi vel minimum . nec
committas ut teneritudinem in te ullam
formidinemque susurrorum introspiciant .
nam hoc quidem te à Mundo haud satis
alienum demonstraret ; quasi deliberabun-
dum , ei-ne an Christo , cui Sacramento di-
xisti , placere ac probari potius censeas :
quod trans fugij sit instar à sacrâ militiâ ,
& flagitiosa defectio à proposito perfectio-
nis irrevocabiliter sectandæ . In curâ Alum-
norum Seminarij , quod constat ē Filijs In-
digenarum & Orphanis , sumitam adhibe-
diligentiam , ne quidquam ipsis ad victum
vestitumque , ad medicamenta cum morbis
tentantur , desit . Provide vel in primis
foli-



solicitè ut assiduè accuratèque erudiantur
cum in Christianæ Legis Elementis , tum
in Literis , pro cuiusque captu . Cogita ho-
spectasse illos qui hoc Collegium Regi-
censibus , hoc ipsum deinde Regem sæpi
efficacissimè mandasse , ut in hoc Goan-
Gymnasio Pueri Goanorum Civium bono
moribus & bonis artibus imbuerentur . Ibi
officio in te deonerasato , ne ullâ in parte
desis , prospice . Veteres circa hæc quere-
las nosti ; ne te ac Societatem invidiæ simi-
li obijcias omni contentione devita . Quo-
ties naves in Lusitaniam cursum intendent,
dabis literas ad Regem , breves & accuratio-
ne peculiari scriptas , quibus ei compendio
indices fructum animarum qui & Goæ , &
locis cæteris per Indiam Ministerio Socio-
rum legitur . Ad hoc mature congregabis
narrationes eorum quæ alibi geruntur , ex
quibus decerpens præcipua , scriptum con-
cinnabis , quod cum voluptate speres à Re-
ge & Regni proceribus legendum . Alijs
deinde literis rem hujus Collegij familia-
rem ejus Majeftati commendabis ; quantum
illi desit , ut possit par esse ferendis oneri-
bus quibus subjacet , exponens . Comme-
morabis quid certorum quotannis censum

col-

RII
iantur
, tum
ita ho
Regis
sæpius
Goan
i bon
ur. Ipsi
parte
quere
æ simi
Quo
endent
curatio
pendio
ox, &
Socio
regabis
ur, ex
n con
a Re
Alijs
amilia
antum
oneri
omme
nsuum
col-

NOVARVM EPIST.Lib.6. 541

colligat , quid extraordinarij donativi , quando acceperit . Hoc distinctè declarari expedite , idcirco quod intelligo decernere subinde Regem , ut quædam extra ordinem provenientes pecuniæ , à Fiscalibus Goano Collegio tribuantur . in quo an Regiæ semper liberalitati fidelitas ejus Ministrorum exactè respondeat , nescio . edictus Rex quantum acceperis , si quid minùs quam jussusat numeratum viderit , refundi videat curabit . Adjunges de Patribus qui ex hoc Collegio Evangelizandi gratiâ in loca varia mittuntur , eos plerumque , ubi quò destinantur pervenerint , gravibus illic ab rerum necessariarum inopiâ difficultatibus impediti , ne rectè officio fungantur . quare suggestes , dignum videri cæterâ Religione ac munificentia Majestatis ejus , mitti huc diploma ritè obsignatum quo præcipiatur , ut quibus in Arcibus Lusitanis Stationes Patrum Societatis sunt , earum ex ærario & Apothecis Regijs necessaria illis cum aliamenta , tum cætera subsidia suggestantur . Aliud præterea diploma expediri mandet quo propriè injungatur Præfecto Malacensi , ut in Iaponiâ degentibus Patribus pecuniam è Fisco submittat , unde illic tolerare



542 S.FRANCISCI XAVERII

rare vitam possint : quoniam ab Indigenis nihil aut parum expectari talis auxili queat , propter terrae sterilitatem , & ea paupertatem Incolarum . Eadem ista tria capita Vectigalium Collegij Goan curae Patrum in Arcibus degentium , Iaponiensis Stationis sustentandæ , commedabis enixè proprijs literis Patri Magistro Simoni , aut Vlyssiponensis Collegij Rectori , ut ea vivâ voce ac præsentibus officijs efficacissimè promoveant apud Regem . Iterum autem moneo , ut memineris , quas præsertim ad Regem , dabis literas circumspecte ac meditatò scribere . videbuntur enim & judicabuntur à plurimis . Vale.

Franciscus.

E P I S T O L A V I .

E I D E M .

Hæc tibi circa duos è nostris ut ne profecto exequaris , mando in virtute Sanctæ Obedientiæ . Si Antonius Gomzius toto hoc anno digressus è Dienisi , ubi degit



ndigen
auxili
, &
em ista
Goani
um,
ommis
Magistro
rgij Re
ous off
Regem
s, quas
eras di
videbun
urimis

ut me
virtute
Gome
ensi, ubi
degit

degit, Statione fuerit, ut aliò, quocumque prætextu aut eventu se conferat, resignabis hanc primam chartam, & quod in eâ præscribo facies, exemplum ejusdem mei scripti mittens ad eundem Antonium Gomezium, Autographo penes te retento, & per inscriptas eidem tuas significans quæ jubeo in chartâ memoratâ, quam obsignatam relinquo.

Postquam naves ituræ in Lusitaniam, vela in altum dederint, etiamsi eate nus Antonius Gomezius in Statione Diensi quietus permanerit, aperies Secundam chartam quam sigillo munitam hîc linquo. & hujus similiter Apographum ad illum mittes; Archetypum verò ostendes Domino Episcopo, & eum rogabis, ut ritè testari ne gravetur, congruere per omnia cum Autographo Exemplum. cum hâc Domini Episcopi Fide, chartæ meæ Apographum Gomezio mittes. rogans simul Dominum Episcopum, ut ei deinceps tanquam sibi subdito scribat, & pro potestate imperet quò ire quidve agere ipsum velit. melius tamen esset, meo judicio, sinere ipsum hærere in Vrbe Diensi.

Si Andreas Carvallius, quem justis de
cau-

544 S.FRANCISCI XAVERII

causis redire in Lusitaniam jussi , datâ op-
râ omiserit occurrere ad tempus ; nave
que sine se siverit abire , statim eum è So-
cietate dimittas jubeo . nec ullâ ratione
paciare (nam hoc ego planè veto) promo-
veri ad Sacros Ordines Diaconatûs & S-
acerdotij in Indiâ , quantumvis Dominus
Episcopus proficisceretur hoc anno Coo-
num . quod si idem Andreas Carvallius , co-
trà quam illi mandavi , Goam veniat .
illum in Collegium admittas , quippe non
amplius nostrum . nam hunc , si adver-
sus præscriptum meum hoc anno huc vo-
niat , jam nunc è Societate amandatum
volo . Id tu illi ritè significabis , & sus-
fibi res jubebis habere . Simul Dominum
Episcopum meo nomine etiam atque etiam
orabis , ne illum Diaconatu aut Sacerdotio
initiet .

Franciscus.

EPI.



EPISTOLA VII.

PATRIBVS COLLEGII GOANI

*A Sancto Francisco in Sinas solvente ob signata
relicta cum præcepto eam resignandi si Ga-
sparem Barzæum mori, se procul
agente, contingere.*

IN Nomine Domini Nostri Iesu Christi.
Reputans mecum brevitatem nostræ vi-
tæ, ac mortis cunctis hominibus certissimæ
incertissimam unicuique diem & horam;
ac metuens ne quam in turbationem inci-
dat hæc Domus, si eam necesse foret eli-
gere sibi Rectorem in locum morte subtra-
cti Magistri Gasparis, priusquam Pater No-
ster Præpositus Generalis Rectorem huic
Collegio præfecisset, existimavi mearum
esse partium prævertere, quoad possum,
ante meum in Sinas discessum, incommoda
quæ ex tali inopinato casu nasci possent, con-
stituendo jam nunc aliquid certi, & designan-
do personam quæ interim dum à Româ à Præ-
posito Societatis Generali constitutum aliud
in notuerit, tūm hujus Familiæ, tūm cæterarum

M M

So-

546 S.FRANCISCI XAVERII

Societatis Stationum à Promontorio Bonae
Spei usque ad extreūm Orientem , Provi-
dentiam gerat ; cuique ut Superiori No-
stri omnes Sacerdotes , Clerici aut Laii
obedire in omnibus debeant . Si ergo Pa-
tri Magistro Gaspari humanitùs aliquid
quale dixi , contingere , Rector esto Do-
mùs hujus Michaël de Morales . ac si ei
tempore hinc absit , accersatur statim , ut
huc se conferens regiminis possessionem
adeat , & jam tunc incipient Patres & Fra-
tres universi tam Goæ degentes , quam
alibi , ei obtemperare tanquam vero cum
ctorum & legitimo Rectori . Quoad au-
tem ille venerit , præsit vice Rectoris Pi-
ter Paulus , qui Patri Michaëli de Morales
statim atque huc advenerit , regimen res-
gnet , & illi , sicut reliqui omnes Nostri
deinceps ipse quoque subjectus sit . Ac si
vel antequam gubernationem capesseret , vel
post eam initam , idem ille Michaël Mo-
rales morte subtraheretur , tunc Rector esto
Magister Melchior Nunnezius , quem pari
jure cunctis Præpositum jam nunc confi-
tuo , & agnosci volo , si fortè Deo placet
Patrem Gasparem Barzæum & Michæ-
lem de Morales ad Paradisi gaudia ex hac

vitâ



vitâ transferre , ante quâm Pater Noster
 Præpositus Generális Societatis I B S V Re-
 ctorem huic Collegio præfecisset . Hæc
 porrò ita putavi decernenda , tum ut alijs
 obviam eatur malis quæ inde oriri pronum
 est , tum ut vitetur necessitas congregandi
 unum in coetum Patres omnes qui per In-
 dias varijs & valdè inter se dissitis in locis
 Evangelicæ Prædicationi vacant , quos ab
 istis Stationibus , & Ministerijs quæ in ijs
 exercent , non puto posse avocari sine gra-
 vi Animarum quas curant incommodo , &
 pari detimento Divini obsequij . His de-
 causis in virtute Sanctæ Obedientiæ mando
 & impero Patribus & Fratribus Societatis
 I B S V per Indias degentibus , ut exequan-
 tur quod hac chartâ perscriptum est . ac
 quoniam ita ex animi mei verâ sententiâ
 post maturam deliberationem , ad Majorem
 Gloriam & obsequium Dei Domini No-
 strî , statuo & decerno , ut nemo qui hanc
 chartam viderit dubitare de meâ voluntate
 possit , ei subscripsi manu propriâ , hac die
VIII. Idus Aprilis An.cccciii.

Franciscus.

M M 2

EPI-



548 S.FRANCISCI XAVERII

EPISTOLA VIII.

PATRI GASPARI BARZÆO RECTORI

COLLEGII GOANI SOC. IESV.

DE modo ac ratione agendi sine offensione cum hominibus hæc putavi prescribenda , quæ & te observare magnopere velim , & à cunctis Nostræ Societatis Tuæ gubernationi subjectis exigere . Mulieres , cuius ævum cumque ætatis , ordinis gradus sint , nemo nostrorum alloquatur alibi quam in loco publico , puta Templo ; nec in Domibus visat , nisi periclitantes extremâ necessitate infirmitatis minantis mortem , ad quam eas Christianè obeundam comparare oporteat excipiendâ Confessione peccatorum . Ac ne tunc quidem conveniantur nisi viris aut consanguineis ipsorum praesentibus : vel si familiares apud eis desint , honestis è viciniâ personis ; numquam autem omnino sine arbitris ; iisque idoneis ad testimonium . quare sicuti fœmina viri expers , & orba parentibus , convenienda Domi suæ sit , ne illuc ingrediatur



tur è Societate quisquam aliter quàm ad-
 juncto sibi comite viro probo , & pro tali
 habitu , cùm à cognatis & necessarijs Mulie-
 ris , tum à vicinis , & Vrbis aut totius Pa-
 gi incolis , quò suspicionibus eatur ob-
 viam , & sermonum materia truncetur . ac
 ne tali quidem circumspetione comitatu-
 que adeantur , nisi , ut dictum est , in ex-
 tremis periculis gravissimi languoris . Er-
 gò quotiescumque morbo haud sotico ten-
 tatae , prohiberi non putantur , quo minùs
 vel statim , adnitendo paululùm , vel non
 ita multò post , foras prodeant , omnino
 in templis expectentur . Quin & in hoc
 genere cavendum ne multiplicentur , etiam
 ad graviter ægras , nostrorum accessus ul-
 trà quàm summa flagitat necessitas ; detur-
 que universim severa opera , resecandis etiam
 (quod dicitur) ad vivum rebus , ut quàm
 maximè incidatur , & in rarissimum exte-
 nuetur usum nostrorum hominum cum isto
 sexu commercium , lucri utique exigui , pe-
 riculi maximi ; quo spes incerta non ma-
 gni plerumque ad Dei Gloriam operæpre-
 tij , ancipiti jaciendâ innocentiae ac bonæ
 famæ redimitur aleâ . Itaque ne in Matri-
 bus quidem familias quæ templorum nostro-

MM 3 rum



550 S.FRANCISCI XAVERII

rūm terunt limina , licet multam ostentem
propensionem ad bonum , erudiendis ad
hortandisque , nimium vellem operæ atque
otij nostros impendere . Causa mihi sic ju-
dicandi est , quod inconstantes in proposi-
tis , verbosæ in congressibus ferè sunt fe-
minæ : unde sequitur & temporis plurimum
ijs alloquendis perdi , & certi ac securi fru-
ctus colligi perparum . Quantò igitur ei
compendiosius cum viris earum multum el-
se , ijs informandis & ad omne decus ex-
citandis immorari ? nempe illos capaciores
monstratorum , tenaciores decretorum natu-
râ esse constat . cum ijs quod confeceris
fixum stabit : si quid promiserint , pœn-
bunt . Illi Deo adjuncti & uxorem & fa-
miliam component totam . In ijs ergo po-
tissimum elaboretur . hos otiosius , diligen-
tius Operarij Societatis excolant ; quippe
agros ubi tutius seritur , abundantius me-
titur . Magnum (mihi crede) ista cautio
rumorum , nugarum , tricarum , offensiuncu-
larum everriculum est . quare ut à cunctis
tuæ curæ commissis inconcussè teneatur eni-
tere fortiter . Si rixa exaserbit inter Con-
juges , & Nostros ijs pacificandis experiri
operam suaserit caritas , ejusmodi concilia-

tio-



tionis sequestri , sic habento ; longè plus
 momenti ad negotij successum sibi consti-
 tuendum in patientiū audiendo , diligen-
 tiū admonendo Marito , quām Vxore . Vi-
 ros igitur adoriantur , dextrēque abductos
 à negotio perpellant ad semel purgandum
 animum Confessione Generali , ad quam
 priū se comparent modico secessu & medi-
 tatione aliquā earum quæ primā mensis A-
 scetici Hebdomadā tradi solent . Tum ubi
 peccata vitæ totius viro exponenti Sacerdos
 Noster dederit operam ; suaviter adducat ,
 ut libens patiatur differri sibi absolutionem
 Sacramentalem in dies aliquot , quibus se
 sacris commentationibus ac piaculis , tum
 de vitâ emendandâ serijs deliberationibus
 exerceat . Sic affecto , & ad totum se Dei
 obsequio impendendum confirmato , facile
 nimirum persuadebis quæ ad pacem dome-
 sticam cum uxore stabiliendam pertinent ; ac
 mali fonte obstructo , colliquijs jurgiorum
 exārescentibus , miraberis te duo capita fa-
 nasse cum uni duntaxat medicinam adhi-
 bueris . Quod si Tibi aut nostrorum cui-
 piam talia tractantibus , mulier seorsum
 adiens , exponat : magnis se urgeri deside-
 rijs Deo serviendi .. ad id , impedimentum

M M 4 sibi

sibi esse ineluctabile contubernium Viri; qui
pe lævi dissolutique ac morum incompo-
torum . habere se legitimas abrumpendi
eo convictus causas , quas etiam se posse
judici probare speret; ut res sibi suas dein
ceps habere autoritate publicâ liceat. Ha-
& id genus alia quæ plurima ac speciosa
contexere valent ac solent istæ , cavete vo-
moveant, ad cogitationem divertij proban-
dam . Omnidò perseverate suadendo , u-
cum viris maneant. æstus illi Religionis te-
neri citò in Sexu instabili languescent . tun-
& sua decreta & vestra consilia damnabunt.
Finge constantes fore . Tamen & Marci
periculum , & , quæ ferè nunquam his deest,
offensio publica , graviora mala sunt , quam
ut ijs præponderet fructus animi devotulz
unius , viduitatis bonis præmaturè jam in
matrimonio frui occupantis . Cæterum in
negotiationibus istiusmodi , vitate diligenter
coram arbitris virum culpare ; et si pen-
eum culpam residere palam foret . Pri-
vatum conventum blandè hortamini ad Con-
fessionem Generalem . in eâ , sumptâ oc-
casione ex ijs quæ fatebitur , eum objurg-
bitis , sed leniter , atque ita ut appareat
vos eo quod ipse sibi peccando intulit dam-

no



RII
ri; qui
ompon
bendi a
e possi
as dein
t. Ha
peciosi
vete vo
proban
do, u
onis te
t. tun
habunt
Mari
s deefi
, quan
evotul
am in
um in
igente
pen
Priva
t Con
otâ oo
bjurg
pareat
t dam
no

NOVARVM EPIST.Lib.6. 553

no ipsius causâ dolere , potius quâm uxori
ris de ipso querentis injurijs commoveri .
nam hoc cavendum vel in primis putatote :
ne vos plus Mulieri favere , impensiūsque
quâm sibi consulere , Vir sentiat , aut su-
spicari jure possit . securim spei successus ma-
gnam hæc ejus instigeret opinio . Ergo ut-
cumque crimen ipsius sit , non tamen id il-
le unquam à vobis audiat . ubi eum ad hoc
ultrò satendum perduxeritis , tum damna-
re quod ipse accusat , sine invidiâ licebit .
Sed & tunc detrahenda judicio acerbitas est .
Sic vituperate quod factum perperam ipse
qui peccavit dolens prodit , ut condolere
vos ipsi magis quâm succensere testificem-
ni . Amor , benignitas , syncera caritas in-
reum vestra , in verbis , in vultu emineat .
ubique homines humaniter curari gaudent ;
sed hoc magis nusquam usuvenit quâm in
Indiâ . vitreum ad offensiones genus , ve-
hementiâ resilit ac frangitur ; mansuetudi-
ne ducitur ac flebitur quò velis . Preci-
cibus hic & blanditijs quidvis impetres , mi-
nis & duritiâ nihil prorsus . Quare , ite-
rùm moneo , etiam atque etiam attendite ,
ne vobis unquam excidat , ubi vir ac mu-
lier vobis arbitris disceptant , aut ipsi co-
ram ,



554 S.FRANCISCI XAVERII

ram , aut eorum advocati fautoresve , virum , utcumque culpæ affinem , fugillis . Excipiunt cupidè voces illas & ijs incredibiliter inflantur indomitæ animæ mulierum , & semper imminentes in occasiones deprimendorum Maritorum , ubi fibaventem quasi auram fori senserint , Religiosorum scilicet hominum , quos direptores litium legerunt , temerè indicatis cundùm ipsas præjudicijs triumphant , eoque deinde semper licentiū prosiliunt in querelas & criminationes conjugum suorum , cum sui ipsarum excusationibus sine fine ac modo coacervatis , rabiosâ loquacitate inculcandas stultè patulis auribus parùm prudentum Sacerdotum . Ego vero adeo non vituperandum audiente uxore virum judico , ut etiam dissimulare debere Sacerdotem arbitrer , credere se , Mulieris dissidium domesticum narrantis , defensionibus allegatis pro se , quibus persuadere nititur , nullam ejus culpæ partem imputari sibi posse . Verisimilia licet memoret & vera ; tamen expedit non excusari eam ab Interpretate conciliationis ; sed serio moneri de magno quo uxor tenetur officio virum honorandi , perpetiendique mores ejus . Addant : hanc fœminis



minis impositam à Deo Legem plerumque
ab ipsis violari non opinantibus , præ iræ
perturbatione aut affectu , nimirum suæ
innocentiae fiduciâ , dum sibi plus æquo fa-
vent , & causas indignandi viris offerunt ,
cum eos patientiâ , demissione , obsequio
delinire ac placare debuerant . quare ipsas
par sit accusare se , tum quoque cum sua
illas videtur absolvere conscientia : impensè
autem semper incumbere in studium & exer-
citium æquanimitatis , tolerantiae , obedien-
tiæ , humilitatis , quod viris subditæ vivant ,
prout Christianis mulieribus scripturæ Apo-
stolicæ præcipiunt . Sic ubi abundè purga-
verint apud Viros suspiciones uxoribus fa-
vendi , caveant vicissim ne apud Mulieres
offendant , jure suspecti , tanquam ipsis ini-
quiores , in gratiam Virorum . quare ne
his quidem præ se ferant credere dum cul-
pam à se in uxores conferunt . Sed jugum
stateræ rectum sustineant , neutrorum de-
clinando , & aurem , quod dicitur , Reo
suam servent , non condemnando quemquam
nisi auditum , & comparatâ defensione cum
crimine . Ita rem administrando , præter-
quam offensionem negotio perniciosa alterius
contentientium vitabunt ; etiam ad ve-
rita-

556 S.FRANCISCI XAVERII

sitatem proprius accedent . ferè quippe in talibus uterque in culpâ est , plus quidem hic , minus alter : re ipsa pars delicti su cuique competit . ut justius agat qui am bos insimulet , neutrum planè absolvat ; cunctanter ac circumspecte audiens admittens quæ allegant pro se quisque . Compendiō sior hæc ad scopum optatæ conciliations via est , securiusque occurrit querelis & sermonibus malè feriatorum . Ad extremum qui se frustra in his laborare deprehendit omnia conatus , Partes quas adducere in concordiam desperat posse , ad Dominum Episcopum , aut ejus Vicarium remittat : id que neutrâ exacerbatâ vel à se appellata durius : primum enim est humanæ infirmati erumpere in querelas adversus eos à quibus non impetratur quod æquum automat qui petit . quare nisi mediator parum felix valde prudens sit , patietur excideret sibi aculeos verborum , aut ambos litigantes aut alterum perstringentium , quasi primum placabiles & æquos . unde nihil lucetur nisi odium ejus quem punxerit , & forte contemptum amborum , deprehensam conciliatoris imprudentiam , ferò se agnoscentium in delectu arbitri errasse . ne igitur præter oleum

RII
ope in
quidea
ti sua
qui am
t; cu
ittenie
pendio
liactioni
s & ser
remum
eident
ere in
mitum
tat: id
opellat
infirmi
eos i
n autu
pardu
cidere
itigan
asi pa
l lucr
& for
l con
entium
orater
rum

NOVARVM EPIST.Lib.6. 557

oleum & operam , etiam alterius vel utriusque dissidentium gratiam perdatis ; cona mini patienti exhibitione benignitatis , & prudenti honorificentiâ verborum , placatos saltem ambos vobis benevolentique dimittere . Ac in universum oro , ut collecti animo attentique adhibeatis vos in omni cum hominibus cuiusquemodi congressu . Semper memores : spectaculum nos expositos Mundo huic nequam , observari assidue intentis obtutibus exploratricis invidiæ , ac pronæ in sinistra judicia Pravitatis , omnem ansam malè de nobis opinandi ac loquendi paratæ arripere ; tum proprio instinctu , tum instigatione mali Dæmonis , irquieti nostri ac pervigilis Adversarij ; adeoque sic habetote : inter omnes imprudentiæ lapsus esse illum perniciosum maximè , qui ultrà præsens incommodum , noxam in posterum luendam ferit . Rapimur scilicet ; ut nobis quidem videmur , zelo mero Divinæ Gloriæ , sed illo cursu in rectum intento ruimus ; & nihil pensi habentes quid agamus aut loquamur , dum Religionis negotium urgeamus , ea committimus aut dicimus , quibus erubescendum aut dolendum postea nobis sit , sub acri sensu ex his natorum detrimentorum ingen-



558 S.FRANCISCI XAVERII

ingentium; quæ cum circumspectione prævidisse, moderatione præcavisse debuimus, nunc temerè consita in longam abundant inutilis ac feræ materiam pœnitenti. Suspecta in primis sit iræ prolapsio, cujus irritamenta passim obvia in occursu tollerum, facile præcipitant zelo abreptioni vestigium in lubrico pedetentim pernant, & in voces aculeatas erupturienti linguae frænum attrahant modestæ lenitas absque quam fervor omnis objurgantium sine fructu exardescit. quotus enim quisque qui excandescens reprehensoris perturbata increpatione fiat melior? nunquam igitur aliter quam sedatè arguatis quos emendari expedit. nec emineat ira in verbis ad orationem prolapsorum ex perturbatione comparatis. alioqui exemplum mali potius quam remedium objeceris. nam omnem in cundiam vitio passim vulgares homines ascribunt; adeo non parati credere: Dei caritate accendi fervorem sacrorum hominum in peccantes impotenter stomachantium, certo inde teneri experimento arbitrentur esse ipsos aliorum similes, & nihil secundum quam plebejas animas, vehementium affectuum agi ferrique intemperijs. Cum Religio.



ligiosis aliorum Ordinum & omnis generis
Sacerdotibus quavis de causâ vobiscum altercantibus , demissè vos semper obnoxie-
que geretis ; dantes , ex præscripto Aposto-
li , locum iræ ac perturbationi , si qua in-
ipfis appareat . Idque non solùm quando
vestra vos conscientia reprehenderit : sed
etiam quando clarè perspexeritis , & inno-
centes vos , & illos in culpâ esse . nec tunc
ultionem de vos iniquè vexantibus majorem
expetatis , quâm vestrum humile silentium
defensionem vestri juris modestè omittens ,
quando eam apud aures præjudicio & irâ
obseptas nequidquam allegandam intelligi-
tis . Ac tum recipientes vos intus in arca-
num mentis , commiseramini sortem eorum
qui temerè ruunt , contra quâm fas &
æquum fuerat , agentes : quos utique seriùs
ocrys Divina Ultio excipiet , asperior multò
severiorque quâm vos aut ipsi suspicemini . Quare assiduè preces apud Deum pro
ipfis fundite , condolentes infirmitati & im-
prudentiæ illorum ; diligentissimè autem
caventes , ne ullâ in re dolori vestro indul-
geatis , vindictâ de ijs qualicumque præsu-
mendâ , vel cogitationibus & votis tacitis
dira ipfis imprecantibus , vel sermone ac-

ver-

560 S.FRANCISCI XAVERII

verbis apud obvios traducentibus iniqüitatem eorum ; multò autem minùs factis quā ipsi vicissim noceant . hujusmodi omnia quæ caro & sanguis , hoc est corruptæ naturæ pravitas , imperfectis suggesterit , gravissimi periculi , damni maximi vobis fore nisi reiiciatis , putatote . Planèque id cœrum citra ullam dubitationem habeatis Deum piurimas Gratias & insignia beneficia largè conferre solitum ijs , qui graves impugnations sine ultionis desiderio patientes ejus causâ perferunt ; omnem impetum reponendæ injuriæ , Divinæ Caritatis suavitate opprimentes . Tunc enim quasi obligat se Misericordissimus Dominus sentit ad abunde compensandum quod injustè auferunt & tantò plūs ornandos ac bonis cumulandos quos calumnia deformat , violentia spoliat ; nec tamen de statu mitis ac tranquillæ mentis indignatio deturbat ; quanto lessentius infestantur . Ipsi quoque injuria autoribus qui vobis iniquè obstant , & pacepta disturbant , peculiariter curabit tempore meritam ignominiam rependeret quæ omnia facere omittet , si vos ipsi partem ullam ultionis attingatis , & vel infestis affectibus læsæ mentis , vel querelis im-

guâ



guâ prolatis, vel agendo quod potestis, ut
vestris vexatoribus ægrè sit, vindictam per
vos exequi conabimini. Si verò (quod Deus
avertat) similitates inter vos & Religiosos
alios exardescere contigeret: cavete ne co-
ram Prætore vel Præfecto, aut omnino quo-
vis Sæcularium præsente, cum illis jurgemi-
ni. Offenduntur mirum in modum visis
auditisque talibus sacrorum hominum eru-
ptionibus homines Laïci. quare si Religiosi
illi in vos fuerint è sacro pulpito investi, aut
sermonibus apud plebem vos infamaverint,
adibitis Dominum Episcopum, rogabitisque
ut, si ei videtur, illos accersat, & coram utri-
que causâ cognitâ, statuat quod è re videbitur
ad contentiones componendas, amovendam
qué offensionem publicè perniciosam. Ac
dicite Domino Antistiti, me ipsum orare,
ut facere id ille per se occupet, sopiaque
maturè controversias istiusmodi, ne in co-
gnitionem Magistratum Sæcularium, aut
omnino, si potest præverti, in notitiam Po-
puli veniant. Cæterùm planè veto, utcum-
que illi contra vos ad concionem declamave-
rint, vicissim vos Apologias & defensiones
juris vestri è sacro pulpito exequi. Satis sit,
ut dixi, referre vos rem ad Episcopum, &

NN

ab

562 S.FRANCISCI XAVERII

ab illo impetrare, ut adversarios vestros coram se citatos vobis præsentibus audiat, cognitisque ritè cunctis, quomodocumque finiat, scandalaque ex ijs eruptura in exitu fissimam populi offenditionem, autoritate sapientiâ prævertat suâ. In quo advertat velim: haud esse situm Societatis honorem in strenuè propugnando coram plebe juro nostro, causâque argumentis evincendâ apud homines, & applausibus auditorum emeritis, quo loco & tempore id fieri non decet. Dei judicio negotium totum stat. si Deus improbet quod agimus, falsus populi favor veram nostram apud Deum non absterget infamiam. Illud ergò ante omnia curemus, ut cum Deo nobis constet officij ratio, ut Deo autore operemur, eodem approbatore non falso gloriemur. nunquam autem ille probaverit, ducere nos contentionis funem cum gravi perturbatione publicâ, qui utique suos vult dare locum iræ, tumultûs compescere, tranquillè vivere, cum pacem etiam odicibus esse pacificos. In his ut ita vos gentes non tantum summoperè commendo, sed pro imperio etiam mando ac planè jubeo. ut inquam, vestram ipsi causam, quantumvis publicè lacefisti, non agatis: sed ad Domini

num



RII
stros co
iat, co
que liti
n exitio
ritate a
dvertat
onorem.
be juru
adā apū
emerc
n decet
si Deus
li favor
erget in
emus, ut
ut Deo
re non
e proba
em cum
que suo
escere,
n odie
os gen
do, sed
beo. ut
ntumvis
Domini
num

NOVARVM EPIST.Lib.6. 563

num Episcopum confugiatis, ejusque judicio
stetis, illum suppliciter orando, ne cuncte
tur pacem stabilire, ubi homo Inimicus di
scordias seminat. Tandem super omnia te
ipsum commendabo tibi ipsi. Fac semper recor
deris te membrum Societatis Iesu esse. Hæc
tibi suggeret cogitatio, quid in quavis occasio
ne conveniat te facere. Vale. Goa. xvii.
Kal. Maij An. ccccclii.

Franciscus.

E P I S T O L A I X.

EIDEM PATRI GASPARI BAR
ZÆO RECTORI COLLE
GII GOANI.

Circa curam rei familiaris hujus tibi com
missæ Domus, hæc tibi seorsum & di
stinctius putavi commendanda. Chartas &
tabulas Authenticas, quibus fundus & quasi
Patrimonium hujus Collegij continetur, pu
ta diplomata Domini Nostri Regis, per quæ
attribuit huic Collegio vectigalia Pagodibus
erupta, donationes & assignationes cæteras
literis ejus ritè consignatis expressas, & à

N N 2 Præ-



564 S.FRANCISCI XAVERII

Prætoribus qui ante hunc fuerunt agnitas & confirmatas, ea, inquam, scripta omnia & monumenta Archetypa sedulò colliges, & in unum congregata penes te habebis. In agendo cum externo Procuratore Domus & cum Cosmo Agnezio, qui omnium ad Collegij Censūs spectantium & magnam potestem propter autoritatem Magistratus, & prioritiam habet plurimam, eum familiaritatis in colloquiorum frequentiâ & cæterorum diligentî officiorum adhibebis modum, quem Collegij rationes postulant. Tractabit igitur cum ijs quandiu & quām intimè opus fuerit ad efficaciter stabilienda quæ nutant & parum certi proventūs usu deprehenduntur vectigalia Collegij. nam annuorum redditum qui olim Pagodum Sacrificulis addicti, Evangelicis Operarijs alendis attributi modò sunt magna pars non solvit, ijs qui debent contumaciter negantibus. in alijs quoque non paucis jura minimè dubia Collegij per vim iniquam & recusationem satisfaciendi sunt irrita. quare insta & fatage apud istos, ut certi contra hæc remedij quidpiam expediatur. Mihi videbatur utile (vos expendite utrum ita sit) intentari publicè formulâ solitâ missas Anathematis, impetratis ad hoc literis

à Ma-



RII
gnitas &
mnia &
es, & in
s. In
Domus
ad Col
potesta
, & p
iliaritatis
erorum
odum,
ractabili
ne opus
utant &
nduntur
editum
, Evan
dò funt
ent con
ue non
er vim
di fiunt
ut cer
mediatur
utrum
itā mi
c literis
a Ma

NOVARVM EPIST.Lib.6. 565

à Magistratu Ecclesiastico , in eos omnes qui censuS huic Collegio debitos solvere detrent , aut quoquomodo bona ejus detinent , in rem deducendas , nisi spatio præscripto , quæ malâ fide possident , restituerint , & suas conscientias exoneraverint , prædâ injustè quæsitâ legitimis Dominis reddendâ . Hæc tamen & ejus generis quædam in vulgus odiosa , puta cum prehendi oportet atque in carcerem condi Redemptores vestigalium negligentes in repræsentandâ pensione , per exteros administrentur . sic enim fient cum minori Societatis invidiâ . Pecunia universa & totum ærarium domesticum in manu & sub clavē tuâ esto . tu solus inferas , tu promas . Te dispensante , ac Ministris tradente , sumptus fiant in usus quos judicaveris verè necessarios , cùm Fratrum Nostrorum , tum Alumnum ; ac præterea Operariorum Evangelij peregrinè rem Christianam curantium . Hi miseri magnis plerumque premuntur angustijs ex defectu earum rerum sine quibus tolerari vita nequit . & quod caput est absistere à acceptis præclaris compelluntur , ingenti animarum quas curabant detimento , ubi diù frustrè expectaverint promissa subsidia , ineluctabili necessitati succumbentes . præverte

NN 3

oro



566 S.FRANCISCI XAVERII

oro te, æquâ & sapienti distributione pro ventuum Collegij: ex quibus primâ, u par est, consules domesticis, nostris & exten sis, deinde submittes ad Socios qui apud Co morini Promontorium & Insulas Mauric extemâ inopiâ laborant, item in Moluci & in Iaponiâ degentes, unde adjuventur a vicium miserum parandum; quo si careant auxilio, magna opera infecta dimittere; & spes ingentes corrumpere, gravi Regni D incommodo, cogentur. Hos nominavi qui extra Lusitanorum arces inter Indigenas vivunt, quod eorum durior hoc in genere fons est. Stationem qui habent in Regis pra sidijs, aut alioqui in locis ubi concursus & coloniæ frequentes Europæorum sunt, inop tabescere, & à cepto juvandarum animarum cibi defectu absistere non sinentur, id quod facile illis eveniet peregrè inter alieni generis homines, partim infestos, partim eg nos, fame perituris, nisi à suis procul missum demensum accipient. Ante omnia magnop rē volo à te sollicitè curari, ut æs alienum i Collegio contractum dissolvatur. nam deti neri rem alienam ab eo qui potest reddere, nefas est, ad Dei offensam & maculam animi pertinens; ac præterea justam populo præ bens



bens offensionis causam . quare iterum etiam
atque etiam inculco , cave id negligas . quin
omnem conatum & contentionem adhibe,
ut nulla tam justo & instanti officio mora
interponatur. Hoc ut facere possis , ædificia
ne inceptes nova , nec absolvias inchoata . Et
si enim angustè habitamus : tamen id quod
magis urget prævertendum est . Persolutis
debitis , tum sanè sensim attollere structuras ,
& perducere ad fastigium licebit . In uni
versum autem vide : ut longè posterior tibi
cura sit ædificiorum quæ lapide ac cæmento
congeruntur , quam Spiritualium Dei Tem
plorum . Hi sunt Socij & Alumni tuæ fidei
commissi , in quos alendos , fovendos ; in pri
mis verò ad profectum virtutis excitandos ,
primarium tuum evigilare studium par et .
Sunt tamen (scio) ædificia quæ differri ne
queunt . puta macerij circumdantis hortum
domesticum , & obstructio aditus ædium , si
quis uspiam præter ostium patet . nam septis
& firmis & uspiam hiantibus muniri undi
que Religiosam Domum , disciplinæ ac famæ
sic interest , ut nulla sit talis operæ legitima
dilatio . talia ergo utique quocumque sum
ptu statim expedi . Deinceps opus habeo præ
munire te adversus teneritudinem animi aut

NN 4 vere-

568 S.FRANCISCI XAVERII

verecundiam negandi quandam , quā te fōtē constrictum reperies , quando te (quod non deerit) flagitabunt externi egentes multi , ut ipsis ē Collegij ære largiaris , aut Redemptores vestigalium , remitti partem pensionis , allegantes multa , & obtendentes inopiam domesticam , rogabunt . nec deerunt qui ad te aures confitentibus præbentem cedentes , narrabunt angustias familiæ , memque suam ac suorum , obsecrantes ut dones quo egent . His & ego compatiō : sed emolliri talibus , ultrâ quam fas est & Deo finit , veto . nam ex alieno largiri , furtum est . ut ergo ista cum audies , invidiam dūtiei conferrē in me possis , en tibi manus adstringo . ac conceptis verbis pro potestate impero , ut cunctis istiusmodi flagitoribus dicas : ære alieno prægravatam Domum hanc , vix habere unde victui quotidiano Sciorum & Puerorum Seminarij suppedite . Tamen alijs eandem oneribus urgeri , sustentandorum Patrum qui peregrē Evangelium Prædicant , Nosocomij publici instruendi multisque similibus : quas ob causas me tibi præcepto ex obedientiā imposito , quale sine Dei offensâ transgredi nequeas , mandasse , ne ex Collegij censibus quidquam ulli dones ,



RII
te fo-
(quod
es mul-
aut Ro-
m pa-
dento
deenu-
tem a-
iæ , b-
s ut do-
r : sed
& Deus
furtum
m duri-
nus ad-
testate
toribus
omum
no So-
pedite
susten-
gelium
uendi-
ne tibi
le sine
dasse,
lli do-
nes,

NOVARVM EPIST.Lib.6. 369

pes, quoniam quidquid inde subtrahatur de-
futurum omnino sit domesticorum necessita-
tibus, quibus explendis quantum annuorum
percipitur fructuum impar est. Cæterum
ab hoc quæstuoso genere Pœnitentium, cibum
corporis, non animæ remedium è Confes-
sionis Sacramento captantium, plurimum
tibi caveas, & paucis ac præcisis te quam-
primum verbis expedias, suadeo. Acrior
istis multò fortunæ, quam conscientiæ vul-
nerum sensus est. nil nisi terrena sapiunt.
toti sunt in spe st̄pis eblandiendæ, quidquid
illis ad animi profectum differueris, surdis
cecineris. Te ipsum, nisi excutis, impli-
cent & avocent à potioribus. Multi Patres
Familias Lusitani postulant dari sibi agros
Collegij in feudum. An hoc sit è re Colle-
gij dubito; & vereor, si hæc exempla frequen-
tentur, ne grave aliquando huic Familiae de-
trimentum afferant. Tu sedulò rem discu-
te: & cum Procuratore & Amicis Domus
maturo habito consilio, statue quid circa
hoc factu optimum sit. debet aliqua hoc
Collegium, debentur & illi multa. Ergo
ut callere ad unguem te volo quorum &
quanto in ære sis: sic & sedulò exquirere,
quantum & penes quos resideat æs tuum.
utrius-



570 S.FRANCISCI XAVERII

utriusque generis tabulas diligenter confice
quamquam patiar equidem te minus solici-
tum in computando quid ab alijs exigend
ius habeas , quam in recognoscendo , & quan-
primū exolvere conando , quod jure tu
alijs à te repetunt . Datagis in hoc , & co-
tentione summā certes censeo . Idque ipsius
potissimum alleges ijs qui donari sibi po-
scunt : debere te , & quantocyūs dispunge-
re nomina studere ; quare in hoc conferro
quidquid inevitabilibus expensis tam num-
rosæ Familiae supereft , nec quidquam esse
inde quod possis arbitratu tuo tribuere , qui-
bus benè vis & quorum inopiae condole :
cum omnia exhaustant , ac nec sic quidem
satis habeant , alimenta , vestitus , remedia
Sociorum domesticorum & peregrinantium
Puerorum Seminarij , ægrorum Nosocomij
præter fabricas urgentissimæ necessitatis , &
alia non pauca . nec speciosus hic sit obtenu-
sus & quæsita excusatio : sed revera ita fa-
cias ; diù noctūque invigilans in suffurando
sumptibus quotidianarum necessitatum , quan-
tum omnino potes , ad reddendum quibus
es obnoxius . Experienciam utare censeo oco-
nomiæ magistrâ , ut quod usu didiceris juvi-
se , frequentes studiosè : quòd nocuisse , aut

parūm



parūm profuisse deprehenderis , vites sedu-
lō . Acriter priūs explora quibus confidere
aliquid paras . rari enim reperiuntur fideles
dispensatores . Elige hos , quantum potes ,
ē numero eorum qui tibi solent aperire confi-
tendo conscientiam , saltem semel in mense , ac
toties Sacram Eucharistiam reverenter sumunt .
Cupio , ut magna pars argumenti literarum
quas ad me Malacam Septembri dabis , per
Franciscum illic Perezium curandas , sint ca-
pita hæc duo , Prius , quantum vobis ; alte-
rum , quantum à vobis debeatur . Addes
eodem , de cætero cursu domesticarum re-
rum , de fructu operæ à te & alijs impensaे ,
ecquid & quatenus Goani cives ex concio-
nibus , alijsque sacris ministerijs , proficiant .
quid novi nuncietur è Regno , quid succeſſe-
rit circa negotium Pacis ac Belli , de Patri-
bus peregrè degentibus . scribe de cunctis fu-
sè ac distinctè , amanuensem adhibens bonæ
manūs ac lectu facilis . Redemptorem vesti-
galium elige locupletem & honestum , Mer-
catorem ferè aliquem ex urbanis noti splen-
doris ; non pauperem , ne ad lites venien-
dum sit . Vide annon sit compendiosius eine-
re duos , quos Domi teneas lotores pannorum ,
quām dare lineam uestem domestici usūs ex-
ter-

572 S.FRANCISCI XAVERII

ternis fulloniam factitantibus , mundandan
Præterea ecquid præstet alere Fratrem è No-
stris Horto domestico Præfectum , & cultu-
ræ olerum peritum , quām extero ad ho-
uti artifice. nam video multum expendi in
victum & mercedem tum Hortulanū , tum
Æthiopum ipsi servientium . Posset ea cura
demandari cuidam è nostris Adiutorib⁹
adjunctis ei mancipijs duobus ad hoc ipſu-
emptis . In his & alijs id genus exquire at-
tentè quid factu sit optimum ; cùm per te
investigans , tūm adhibens in consilium ex-
ternos peritos talium , Deum timentes , &
huic Collegio benevolos . Alvaro Alfonso
remissi sunt ex pensione ab ipso debitā Par-
dai quingenti , tantò æquiū exiges ab eo
ut maturè solvat quingentos alios quos de-
bet . Cave profusus ex alieno velis esse . me-
mento famis & egestatis Fratrum Nostrorum
pondus diei & æstus in Stationibus huic Domo
contributis , magno suo sudore portantium .
recordare illorum qui in Iapone , qui in
Moluccis , qui in Comorini Promontorio
graves ærumnas sine solatio perferunt . Chor-
anum mittas censeo singulis dominicis Do-
minum Augustinum Sacerdotem externum ,
idoneā ei mercede constitutā . non probō ibi
refi-



residere unum è Nostris Fratribus . ergo
illum qui jam illic est, Domum revoca . Ex ijs
qui Domum admittentur , dabis operam , ut
tempore primæ probationis rescias , quam vi-
tae sectam in sæculo tenuerint , quam artem
exercuerint , aut calleant . quod nimirùm in-
telligatur quæ pars domesticæ procurationis ,
quæve officia vel ministeria rectè illis man-
dari valeant . Michaëlem Moralem jubebis
aliquoties apud Templum Episcopale ad po-
pulum dicere , admonens priùs illum & præ-
parans , ut id tali loco prout par est faciat .
& possetis , si tibi videretur , alternis id tu
& ille facere , suâ cuique Hebdomade tribu-
tâ . statue circumspectis cunctis quid videat-
ur optimum . Cave obliviscaris quod tibi
mandavi de Balthasare Nunnezio . quin id
quoniam magni momenti judico , Tibi in vir-
tute Sanctæ Obedientiæ mando , ut planè to-
tum exequaris , obire illum Asceticas exer-
citationes jubens ; & eum ministerijs humili-
bus Domi , non foris , applicans . Iaponas
qui hîc sunt , impensè commendatos velim
habeas ; & tutò ac commodè ut in Lusita-
niam navigent , cures . Puto è re fore , si
exerceantur à te Meditationibus Asceticis
Fratres qui ad Societatem probantur , &

ex

574 S.FRANCISCI XAVERII

ex ijs isto modo intimè perspectis quos idoneos repereris retineas, quos ineptos deprehenderis, dimittas. Cave autem adducan unquam cuiusquam precibus, & quantum multorum ambitu, ad quemquam in Societatem admittendum non instructum necessarijs ad eam juvandam dotibus. Chorani insularis prædij, rusticorumque ac operarum illic degentium curam per idoneos habo quantam res exigit: non enim per te nec per quemquam nostrorum potes. dixi jam eò mittendum singulis dominicis Dominum Augustinum. Cætera item quæ opus ad hoc erunt, delectis quibus rectè fidas, administrâ. Franciscum Lopezium simul huc advenerit, vacare jubebis Commentationibus Asceticis, Generalem ejus Confessionem audies, ministerio Culinæ, aut id genus humilibus obsequijs, addices. Matthæo sex & triginta Pardaos quos munus dedit in Iaponiâ, statim ac repetet, persolves, Alvaro Alfonso præfiges solutio- nis non diffundendam amplius diem, post Pascha.

Franciscus.

Patres



Patres & Fratres Societatis ubicumque sint per Indiam , nec ad Regem , nec ad quenvis externum in Lusitaniam scribant , nisi missis hūc apertis literis : quæ in hoc Collegio referentur vel in fasciculum inscriptum Regi , vel in alium cui nomen præfigetur aut Patris Magistri Simonis , aut Rectoris Sancti Antonij Vlysipone .

Franciscus.

E P I S T O L A X.

EIDEM PATRI GASPARI.

HÆC quoque in ultimo procinctu longæ ac dubia navigationis . dum nunquam satis præmuniisse Te , Mi Gaspar , videor , iterans & in summam dicta colligens replico , quæ tu solicitudini præ amore nimia ignoscens , tam sæpè inculcari boni consule . Ante omnia tui memento , Animæ tux prospice . Scis enim quām verè scriptum sit : qui sibi nequam , cui bonus ? Patribus & Fratribus tibi subditis semper exhibe synceram caritatem , & amabilem modeftiam ,

376 S.FRANCISCI XAVERII

N
niæ s
multi
Talia
nem c
dibrie
quasi
comm
frequ
bus q
rint:
His sa
distr
cujus
strand
funt c
ri no
que c
dotio
egre
prob
pror
peca
min
mod
nis.
debe
ut m
nix

Niam ; asperitatem & rigorem amove ; si quos senseris benignitate abuti tuâ . H ad profectum duntaxat ipsorum , non adi tionem tuam , severitatis aculeum qnend exere ; præsertim si opinione sui in sup biam tumere videantur : quorum fastu comprimi & ipsorum & publicè iuter alioqui per ignorantiam aut fragilitatem rantibus , cum fructu eorum & sine dem to Disciplinæ interdum ignoveris . Ar goantibus indulgentia venenum est ; mirab liter insolescunt & omnia perturbant , si Ro ctorem languidum & obstatre metuentem invenerint . Multitudo admisorum sine de lectu , non subsidium Societati , sed im plementum est . Pauci , sed strenui , sed do tibus animi & corporis prædicti maximis , in star innumerabilium illi sunt . Tu vide nu gravare ipsam turbâ malis , quam vero ro bo supplementi lectissimi firmare . Admis os in verâ sui abnegatione , mortification intimâ pravorum affectuum , indeſinent exerce : Admove quin etiam ministeri humilibus externis , mendicandi ostiatim pro Pauperibus , inserviendi decumbenti bus in Nosocomio publico , & quæ sunt epi generis uulgò probata . gestu aut veste infa



nizæ speciem habentibus , spectaculum eos
multitudini præbere , me autore ne jussiris .
Talia enim & multis qui vident admiratio-
nem offensioni affinem , & ipsis qui se sic lu-
dibrio propinaverint , gloriolæ titillationem ,
quasi heroicum quippam fecerint , non raro
commovent . Illud sanè utilitatis compertæ
frequentare ipsis cura . Fateri coram Fratri-
bus quæ in demandato ipsis officio peccave-
rint : pœnasque eo nomine injunctas luere .
His salubriter demittitur animus , acuitur in-
dustria . Cuncta porrò ista ex ante sumptâ
cujusque statûs ac virium notitiâ admini-
stranda sunt . non enim æquè omnibus apta
sunt omnia . quo quis juvabitur , idem alte-
ri nocuerit . Prudentiæ moderatoris est cui-
que consentanea præscribere . Initiari Sacer-
dotio neminem Sociorum sinas nisi scientiâ
egregiè ornatum , & virtute multis annis
probatâ insignem . Sine hac observatione
promoti , nunquam Instituto Societatis , ex-
pectationi hominum , satisfacient . utinam
minus multa extarent experimenta incom-
modorum ex hujus ortorum neglectu cautio-
nis . Et externis & nostris vacare juvandis
debes , sed cum idoneo discrimine : nempe
ut memineris te domesticis debita reddere

Oo

alie-



578 S.FRANCISCI XAVERII

alienis , gratuita largiri . Ordo autem redi-
est , prius justitiae satisfacere , deinde in
beralitatem effluere . Nostrorum à te ratio-
nem Deus exiget , quos commisit tibi . Alio-
nis quod benefeceris , auctarium officij et
tunc solùm ad laudem pertinens , si à plant-
perfuncto curā necessariā supererogetur ; flu-
gitum est neglecto principali , diligentiam
in accessario consumere . ut qui turpis intus
superficie honestā probari hominibus fas
habet , iram in se Dei concitat : sic qui Do-
mi deses , in Civitate se strenuum ostentat
ambitione ruens præposterā , quò currit ef-
fusiūs , hoc errat largiūs . Id metuens primò
quod prius , secundò quod secundarium , cu-
ra . Modus juvandi proximos , quò univer-
salior , hoc melior . Itaque concionari
Christianæ Religionis elementa palam trade-
re , in Sacro Tribunal aures dare confiten-
tibus , officia tibi sunt potissima . In
Confessione introspice solerter quo quique
animo ad te veniant . nam sunt qui qua-
stum fuso Religionis exerceant ; sub obtenu-
tu querendi animorum remedia , corpo-
rum alimenta nundinantes . ferè compéri
hoc genus hominum hebetissimum ad sensum
spiritualium malorum . effundas in ventos que
de



de animi cultu , & spe vitæ sempiternæ talibus
dixeris . obnixi hærent terræ , quam solam fa-
piunt . Tu hos citò dimitte . nec te angat
quod de te quiritentur ; aut speres occur-
rere vos invicem posse , cum altrinsecus in
diversa nitamini . de Mundo illi , tu de
Christi Regno es . Pudeat Christi militem
vereri susurros vulgi profani , & ullo re-
spectu tangi iudicij eorum qui terrena Cœ-
lestibus præhabent . Deum sequere cui Sa-
cramento dixist ; securus quid contra te mur-
murent alienarum homines Partium . Immò
solicitus ne quam in te illi suarum ob-
trectationum formidinem obser-
vent ; erectâ fronte præ te
fer ; eorum te , ut non-
curas laudes , ita &
vituperia con-
temnere .

580 S. FRANCISCI XAVERII

EPISTOLA XI.

EIDEM PATRI MAGISTRO GASPAR
BARZÆO RECTORI COLLE-
GII GOANI SOCIE-
TATIS IESV.

*Gratia & Amor Christi Domini Nostri
adest semper nobis auxilio &
favore. Amen.*

EX quo perveni Cocinum multas accepi literas Colano, & è Promontorio Comorinensi. nulla non earum nunciat gravis incommoda ex defestu subsidiorum necessarium & corporibus & animis, quibus Nostris conflicantur qui locis illis Religionem procurant. Ex Orâ Comorinensi scribitur, dien illic obiisse Patrè Paulum, virum magnæ perfectionis ac virtutis. Superesse solùm Patrem Henriquem Henriquez, nec alium speriri è nostrâ Societate Sacerdotem in tondo tractu. quare is enixè petit, ut sibi Socius mittatur, à quo juvari queat in administratione Sacramentorum, cui pro numero Christianorum & distantia locorum defun-

gell-



genda quantum sit satis, haud unus ipse potest par esse. Vide an isthinc possis extricare Patrem Antonium Vazium, & cum eo Fratrem Antonium Diazium, quos transfacta hyeme in Oram Comorinensem destinares tantam miserè Operariorum inopiā laborantem. Sin tibi vel minus ad hoc aptus, vel magis ubi est necessarius videretur Antonius Vazius, cogita de Francisco Lopez, quem nuper Bazaïnum miseram. Evidem, quod nunc succurrit animo, alterum horum magnoperè gauderem in Comorinum mitti cum Antonio Diazio, vel alio adjutore probatissimæ virtutis, quem tutò possis ad talēm eunti Provinciam Sacerdoti comitem, adjungere. Per quantum Deum amas, orote, adhibe omnem in hoc negotio curam. res enim est momenti non vulgaris. Pater Nicolaus multis difficultatibus urgetur Colani, & magnam premitur inopiā, non habens unde alat quinquaginta convictores ex Indigenarum Pueris, & duos tresve insuper Filios Lusitanorum. cum præsertim ad eum curandi subinde Alumni transmittantur, quotquot per Oram Comorinensem in morbum incidunt: & illud Colanense Collegium per sanè tenuiter instructum sit à censu annuo.

oo 3 qua-



quare Pater Nicolaus suo jure postulat aliquod
præsens subsidium è regijs pensionibus olim
debitis Collegio, nec suo tempore soluti-
nam illæ vix unquam integræ annis proprijs
penduntur. Age, oro te, cum Domino Prä-
tore, ut quoniam id quod Rex illi Domui con-
stituit, plenè numeratum non est, residuum
nunc istud decursorum fructuum ei, temporo-
tam necessario, repræsentetur, ac, si ei videatur,
mandatum regium expediat Präfecto Colanen-
si, statim Collegio suppeditandi saltem centum
Pardaos, quibus ruinæ Domus illius miserae ut-
cumque in præsens sustententur. Per Dei Do-
mini Nostri Amorem te obsecro, da efficacem
operam ut primâ post hyemem tempestivitate
navigandi, solvat Comorinum versus unus So-
cietatis Sacerdos cum Laïco Adjutore, juxta
priùs dicta, qui Colano transeuntes, vi diplo-
matis regij quod ferent, memoratam pecunia
summam à Präfecto receptam Patri Nicolao
tradant. Ini summam eorum quæ à Rege Go-
no Collegio debentur; & fatage apud Ministro
Regios, maximè Prätorem, ut literæ ac diplo-
mata expediantur quæ ad solutionem integræ
corum efficaciter urgendam videantur suffici-
ra. Idem simul age pro Domo Arimuziana
& Bazaïnensi Collegio. Ac vide ne molli-
ter

ter aut obnoxie negotia hæc tractes. fortius, ac penè præfracte, transfigi debent res istiusmodi. dura nimirum est tota ista natio Quæstorum, Publicanorum, quocumque nomine Pecuniam regiam dispensantium. quantumlibet æquas, si lenes & verecundæ sint, postulationes eludunt; nec nisi quod extorquentur laxant. non prece, sed propè dixerim, convicio conveniendi sunt: nec facile moræ indulgenda, quarum illi & prætextus poscendarum, & artes in infinitum extra-hendarum, callere se quæstuosissimas, gloria-ri etiam inter suos solent. quare ubi mode-stè agere prævaricari est, importunè improbèque flagitetur; ac quoad expugnetur ut verba in effectum præsentem transeant, ne recusaveris etiam ad jurgium & discidium usque descendere. Aliter vix unquam vitabitur quin quæ Rex piè decrevit in usus Religionis necessarios de suo impendi, per ejus Ministros avarè & nefariè intervertantur, perniciosissimo & irreparabili rei Ecclesiasti-cæ & salutis Animarum detimento. Ergo quamcumque honestam puta rerum tam insignis momenti expediendarum rationem. Æs alienum istius Domus ut quamprimum dissolvas omni contentione fatage. Ac vel-

Oo 4 lem

584 S.FRANCISCI XAVERII

lem Elenchum Summamque exactam debitorum Collegij Goani literis ijs infereres quas ad me Septembri proximo per naves tunc solutas Malacam destinabis . quin cuperem te quoties ad me scribes , commemorare quantum à vobis , quantum vobis debeat . utrumque simul nosse juverit , & crediti debitique comparare rationes . Cum census debiti Collegio à Redemptoribus aut quibuscumque debentibus recipientur , cave stultâ & injustâ Misericordiâ ijs indulgeas , ut partem subtrahant , quod annis præteritis evenisse non semel scimus , flagitosissimâ negligentia ; ex quâ scilicet consecutum est , ut in Promontorio Comorinensi , Colani , & Cocini multa pia opera , ad magnum frumentum animarum instituta , & si continuarentur profectura , omittentur , defectu subsidij Goâ illic expectati : quod propter istas intempestivas remissiones exigentium vestigalia Collegij Goani , ex quo illæ aliæ Sedes pendent , suppeditari nequiret . Quocirca tum tu per te invigila , tum omni ratione cura , ut Procurator Collegij minimè dissolutè se gerat in repetendis integrè debitis ; damno suæ conscientiæ Divinique obsequijs , avaritiæ hominum gratificans . Pa-

tri



tri Antonio Herediæ necessariò subveniens
dum est. Hyeme transactâ , quæ prima se-
dederit occasio , fac ei Cocinum rectè cu-
res subsidium ducentorum quinquaginta vel
trecentorum Pardaorum . Eâ summâ præ-
senti summè indiget ad perficiendum ædium
septum , & quædam alia urgentissimæ neces-
sitatis , ac sine quibus familia illic teneri
nequit , aut omnino habitari , absolvenda .
Miserrimè quippe hactenus , atque adeo in-
tolerabiliter incommodè , diversantur nostri
externique domestici . ne verò hæc legens
atbitreris me , dum Colanensi Collegio con-
sulo , Goani angustiarum oblitum . memini ,
ne dubita , & sciens recolo . sed compara-
tis omnibus tamen judico . planè oportere
extremè laborantibus succurri Fratribus .
Idcirco numerum pecuniaæ in expressam à
me contraxi summam , quâ illi longè majo-
re indigerent . sed contemperanda invicem
incommoda sunt . Tu quod ex æquo & bo-
no poteris , consultrice adhibitâ prudenti
caritate , primùm tuis isthic convictoribus ,
tam Lusitanis quam Indigenis necessaria
provide , deinde curam in Cocinenses , Co-
lanenses , Comorinenses extende . Subducas
ad exactum velim quantum Alvarus Alfon-
sus

586 S.FRANCISCI XAVERII

fus isti Collegio debeat. Vide etiam quantum illi remiserint annis retrò elapsis præ posterè benigni Collectores vestigium Col legij, quām tutā conscientiā, ipſi viderint. æstuarem equidem si repetendam à me cre derem, ut certò ab illis repetetur, ratio nem istius inconsultæ indulgentiæ, ex quā contigit incredibiliter destitui ope ad promovendum Dei Regnum necessariā in Orā Comorinensi, Colani & Cocini, Operarios Evangelicos. Igitur effice, ut quantum omnino debet persolvat in solidum, sic habi turus unde tuæ primūm isti Domui, tunc ejus appendicibus quas modò nomina vi Stationibus consulas. Quām ad rem Divini ob sequij necessarium sit temporalia non neglige re, habes exemplum in hoc meo itinere tanti ad Dei Gloriam momenti, quod quomo do suscipere potuisse, nisi tu diligenter operam navasses in colligendā Armuziensī Eleemosynā, quæ mihi hoc in cursu puppim & proram facit? quid foret si tu in hoc cessasses? nempe cogebamur omittere omnia; & tantam occasionem propagandi Dei Regni nequidquam oblatam præterlabi sinere? at quando redituram? sed hæc ha cenus. Si è Lusitanā Patres hoc anno ali qui



qui iſthuc appellant, memento, conatu omni ad perrumpenda obstacula adhibito, efficere, ut eorum ſaltem unus anno proximo in Iaponiam naviget, futurus ibi Socius Patris Cosmi Turriani: proutēa de re tibi reliqui scriptum mandatum; cujus modō refrico memoriam. Ei Patri adjungas velim Laicum Adjutorem ē Societate Comitem; & cures ut ſatis copioſo uterque viatico instruatur. Oportet enim post viæ ſumptūs, ſuperelleſſe iſpīſis unde victum comparent in Iaponiā, terrā laborum & ſpiritualium frumentum nobis feraci; pecuniæ ac commeatuum ſterili. Atque hoc totum, fac, ſi me amas, ut tibi etiam atque etiam cordi ſit. nam majorem in modum cupio, quia id expedire in primis judico, adjungi quam pri- mum Cosmo Turriano aliū ē Societate Sacerdotem. Ac ſi nos iſta quam indicavi ſpes ē Lufitaniā deficeret, nemine ad id apto Patre Nostro in navibus proximē appulsuris veniente, vide, obſecro te, ecquid ratione alia confici negotium hoc poſſet. uti ſi ſe tibi offerret ad ineundam Societatem, aliquis vel jam Sacerdos, vel aptus ad Sacerdotium, quo eum initiari facile curares, quem ſatis, contracto pro temporis angustijs tyro-

588 S.FRANCISCI XAVERII

tyrocinio, probatum, tibi videreris posse, illuc destinare. Tali, si quem repereris, aut alteri ex prius indicatis, ne copia transmittendi Malacâ in Iaponem desit; ego in transitu providebo, rogans Præfectum Malacensem, ut si Aprili proximo quisquam è Societate Iaponem cogitans Goâ solveret, ei ne gravetur commodare favorem suum ad istum trajectum. In deliberatio ne de ijs admittendis qui Societati dare nomen cupiunt, diligenter inspice: quibus illi animi & corporis sint prædicti dotibus. nec committas unquam, ut personis Domi & foris inutilibus Societatem oneres. Quos verò jam ad experimenta recepisti, eos si explorans attente deprehenderis, vel animi virtute vel ingenuo, vel valetudine destitui quantis esset opus, ut ex ijs sperare auxilium aliquod Societas posset, inutè ad suos remitte. Qui à te isthic excentur domesticis ministerijs ejusmodi quæ tractationem cum externis, & liberam ultrò citróque commemationem requirunt, puta Obsonatoris, Dispensatoris, & similibus, in eos acriter invigila, omnium explorans, tum quæ de se exempla praebant, sobrietatis, continentiaz, modestiez; tum quâ fide res pecuniasque creditas trahent,



&ent, expeditas ne semper & liquidas rationes referant accepti & expensi. non enim scilicet te fugit, quam lubrica istiusmodi negotiorum procuratio sit, quamque imprudenter committatur hominibus non subnixis eximiâ temperantiâ, fidelitate, sanctimonîâ, quæ & tutos illos, & nos securos præstent ab omni periculo lapsis eorum, summo dedecori Societatis, & gravi offensiovi Proximum inseparabiliter conjuncto. Melchiorem Nunnezium & Laicum Adjutorem, qui cum Melchiore Gonzalez Bazaïno isthuc venit, cura diù multumque exercitari humilibus ministerijs usûs domestici, videlicet coquinæ, alijsque id genus, nec eos prodire Domo sinas. Ac si inter istas probationes animadverteris, haud esse hos ad Institutum Societatis accommodatos, dimitte illos, & suas sibi res habere jube. Franciscus Lopez ubi Bazaïno redierit, Asceticis commentationibus per otium excendus est. Ad hæc infimis servitij familiaris officijs terendus. Ac vide ut in horum trium emendationem atque in spiritu profectum curâ vigiliaque peculiari immineas. non hoc de nihilo præcipio: causam utique habens verendi, ut tales sint, quales cuperem, & ad Dei Gloriam perfec-

tio-

590 S.FRANCISCI XAVERII

cōionemque ipsorum expediret. Sed & in-
cūctos quoque cāteros exactā ad cujusque
statum mensurā solicitudinis excuba, intentus
semper ad eos prāmuniendos, excitandos,
promovendos. Quando, prout mandavi su-
periūs, Sacerdotem Societatis cum Lāico
Adjutore mittes in Promontorium Como-
rini, dabis ijs illuc deferendum alterum ē
duobus quos vobis reliqui, Calicibus sa-
cris. Causa sic jubendi mihi est, quod me-
minī ante hos annos aliquot, quandam Co-
morinensis tractūs Christianum misisse Goam
pecuniam ex quā Sacer Calix compararetur.
Eam pecuniam Collegij curatores tunc acce-
ptam in domesticos usūs expenderunt, Ca-
licem hactenus non miserunt. mittatur ergo
jam, & nomen istud expungatur. Alium ex
relictis Calicem dare poteris anno sequenti
Patri profecturo in Iaponiam. Ibi enim
unicus tantūm est Calix. Quando ad me
scribes Malacam, cave operæ parcas aut char-
tæ, neve defungi compendio festines. fusè
ac singillatim cuncta exequere. magnam
enim constituo spem peculiaris mei gaudij
ex istarum percipiendi lectione literarum:
quæ scilicet indicabunt quæ maximè volo de
cunctis meis Fratribus, quiue in isto Col-
legio,



legio, quique in circumcisitis Stationibus Deo
militant. utere autem Amanuensi qui benè
literas formet, & cuius scriptura facile le-
gatur. inscribes fasciculum Francisco Pere-
zio Malacæ. Porrò fac omnino ut Mense
Septembri literas istas ad me destines, na-
ve tunc soluturâ Bandam versùs. Franci-
scus enim Perezius diligenter curabit, ut
ad me in Sinas perferantur. Scribes ad
Cyprianum Nostrum Meliaporæ degentem,
in urbe Sancti Thomæ, ut vivat concordi-
ter cum omnibus, maximè autem cun-
Proëpiscopo & cunctis illis Sacerdotibus.
Atque huic homini sine fuko & ambagibus
loquaris censeo, clarè denuncians: tibi à me
scripto relictum in mandatis, ut eos qui se
non præbuerint morigeros Rectori Colle-
gij istius, è Societate dimitteres. consequen-
ter indica: te nullo cujusquam respectu pro-
hiberi posse ab exequendo quod tam gravi-
ter imperatum sit. Hoc illi profitero *ad*
terrorem, quò sibi nimirum ille caveat, &
ad se quoque pertingere vim minarum istius-
modi sentiat. Stephanus Ludovicus Borral-
lius, in sacris Ordinibus progressus usque ad
Diaconatum, iturus isthuc est. Hunc ego
luvenem amo plurimùm; quoniam de Dei
favo-

392 S.FRANCISCI XAVERII

favore spero fore illum Religiosum bonum,
 quidquid meo nomine petet à te , ipsi gra-
 tificare , alloquendo pro eo quoties volet &
 opus erit , Dominum Episcopum . nec sola
 spes quam dixi me illi conciliat ; sed gra-
 ti animi officium præterea me urget ad co-
 natum rependendorum illi beneficiorum ,
 quibus me sibi plurimis obstrinxit , inser-
 viens semper in omnibus & benignè adju-
 vans ; quoties ejus opem imploravi . Hoc
 meum debitum gratiæ illi referendæ in te
 nunc transfero , quo in exolvendo , cave cesses
 aut langueas . Deus Dominus Noster faciat te
 Sanctum & Beatum . Vale . Cocino viii.Kal.
 Majas An. CICICLII.

Pater Antonius Heredia habet hīc li-
 brum sibi utilem , sed mihi magis necessa-
 rium illic quò propero , futurum . Constan-
 tinus ei libro nomen est , quem auferre ab
 eo cogor ad Sinas navigans . duo ejus ist-
 hic exemplaria videre memini , unum penes
 Franciscum Lopez , aliud in manu Patris Ma-
 nuëlis de Morales . Alterum horum velim
 quamprimum mittas Patri Antonio Herediæ .
 nam eo , ut indicavi , multùm eget . Age se-
 dulò cum Domino Episcopo , ut quendam
 Sacerdotem Malabarem , nomine Ferranum ,
 citet



NOVARVM EPIST.Lib.6. 593

citet ad se , ac pro Imperio , sub anathematis
interminatione , dictâ die sistere se Goæ co-
ram ejus Tribunal jubeat . Impedit enim
cursum Evangelij illic ubi est , Patribus qui
negotium Religionis in Orâ Comorinensi
promovent , palam adversarius & noxiè in-
festus .

Totus tuus in Christo .

Franciscus.



PP

S.FRAN-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN